


DESCRIPTIONIS  
INDIÆ OCCIDENTALIS,  
LIBER UNDECIMUS.

PERUVIÆ sive CHARCÆ.

C A P. I.

Charcensis Conventus Juridici limites, cæli solique qualitates.



ERTIUS Peruviani regni Conventus Juridicus, vulgo dicitur *de los Charcas*, vel etiam *de la Plata*, à nomine principalis harum provinciarum urbis: dividitur autem à *Lima* Conventu, secus oram quidem Oceani Australis, flumine *Tambopalla*, (de quo paulo ante) in mediterraneis autem extremis & septentrionalioribus *Collao* provinciæ terminis. Pater in longitudinem à dictis finibus, ad *Copapo* vallem, ubi *Chilense* regnum orditum, (xx septem ab Äquatore gradibus) secundum rectam lineam trecentas leucas; (nam si orarum ductum aut viarum devia sequareis, supra quadringentas reperies:) in latitudinem autem, ortum atque occasum inter, ab Oceano Australi, ad fluminis argentei provincias, indefinitum leucarum numerum. Complectitur enim Conventus Juridicus plurimas & vastas provincias extra Peruviam proprie dictam, *Sanctam Crucem de la Sierras*, *Tucumanam*, *Iurias* atque *Diagutas* populos, de quibus hic parcè, alibi plenius agemus: *Charcarum* autem provincia, de qua nobis potissimum propositum hic agere, longe angustioribus continetur terminis, neque ultra centum quinquaginta leucas patet in longitudinem, ab extremis Limani Conventus finibus, ad Potosianarum argentifodinarum terminum australem. Pleraque autem hujus Conventus provinciæ magis frigidæ sunt quam calidæ: & aestatis atque hyemis vicissitudines hic fere diversæ sunt ab Europæis.

Solum maxima sui parte minus fœcundum, & tritici atque aliarum frugum malignè admodum patiens; sed pascuis lœtum, maxime in latissimis *Collao* provinciis, & ad oras *Titicaca* lacus, qui magnam *Collao* partem occupat: & pecori imprimis bonum, quod hic & numerosum est admodum, & tenuissimam gestat lanam. Licet autem regio hæc frigidior sit ut plurimum; non tamen desunt & calidissimæ fertilissimæque valles, altis montibus incinctæ: Magna autem hujus Conventus Juridici pars scatet ad miraculum argenti & aliorum metallorum venis, uti ad singulas provincias commodius dicetur.

Reperiuntur passim in hisce provinciis apiculæ quædam quæ in specubus subterraneis mellificant; mel autem eorum acidiusculum est & fusci coloris, quemadmodum & favi (quos barbari suo idiomate vocant *Leciguanas*,) qui & aridiores sunt & magis similes stramentis, quam Europæis favis.

Ex *Charcis* (inquit *Monardes*) advehuntur quædam radices, iridis radicibus valde similes, sed minores & ferculæ folii odore. Hispani qui Indias habitant, vocant *Contrayerva*, quasi dicas *Alexipharmacum*, quoniam earum pulvis ex albo vino sumptus, adversus omne venenum, cuiuscunque tandem sit generis, præsentis simum est remedium, (uno sublimato excepto, quod sola lactis potionе extinguitur) vomitione illud rejicere faciens, aut evacuans per sudores. Ventris etiam pellet animalia.

Parent hæ provinciæ Peruviæ Pro-Regi, uti & cæteræ: Sunt tamen in iis duæ

præfecturæ quæ per Legatos administrantur, Charcensis & Tucumana: & duo Episcopatus.

Denique in Charensi præfectura proprie dicta, (nam de Tucumana alibi dicitur) hæc oppida incoluntur ab Hispanis; *Metropolis la Plata; Nuestra Sennora de la Paz; Oroseja & Potosia;* & aliquot municipia, *Chaqi, Porco, Arica, Arequipa, Misque, Tarixa, Tomina, Lagunilla, Sicasica, &c.* Quæ uti commodius à nobis describantur, regiam viam repetemus, eamque sequemur uti à *Cieça monstratur*, singularumque provinciarum & oppidorum rationem habebimus suis locis, uti & ante fecimus.

## C A P. II.

10

*Via Regia ab oppido Cusco ad urbem de la Paz : provinciae que adjacent & imprimis Collao.*

**A** Metropoli *Cusensi* ad urbem *de la Paz* numerantur paulo plures aut pauciores quam octuaginta leucæ: iterque instituitur ad hunc modum.

Mohina. *A Cusco* dicit via regia (quæ ab indigenis dicitur *Collasuyo*,) primo ad angustias *Mohina*, relicto ad lœvam Palatio regio *Quispichance*. hæc via ingentibus saxis strata est, per vastam Mohinæ paludem etiam muro utrimque coërcita: Mohinæ quondam splendida fuerunt ædificia, quorum hodie tantum rudera visuntur; è quibus *Pizarrus* magnum auri atque argenti pondus rapuit, quum has provincias subjugaret. 20 *Garcilassus* vocat *Muynam*, & ante memorat Salinas, leucam ab urbe, pœlio inter *Almagrum* & *Pizarrum* notatas.

Vrcos. Sex porro à *Cusco* leucis occurrit *Vrcos*, antiquus pagus, & quondam regio palatio quod in vertice montis extructum erat, nobilis.

Quiquixana. Ab *Vrcos* ad *Quiquixanam* (sive ut *Garcilassus* vocat *Quequesanam*) sunt tres leucæ, itinere aspero atque montoso: pene medium secat fluvius *Tucay* ponte stratus, distat à *Cusco* ut volunt novem leucas. *Cavina* populi incolunt hanc regionem, monticolæ, qui que lapideas struunt ædes.

Canches. *Cavinas* excipiunt *Canches*, industria natio & placido ingenio minimeque doloso, adhæc laborum patientissima, quos superioribus annis in metallis exantlavit; pœcudum denique Peruvianarum locuples. Ager ipsorum tritici & Mayzii fertilis, perdicibus aliisque volucribus abundans: amnes supra modum piscoſi.

Canæ. *Canches* sequuntur *Canæ*, alia natio & à superiore diversa, quorum pagi sunt *Hatuncana, Tuncana, Chiquana, Horuro, Cacha* & plures alii: in *Cacha* autem Reges magnificum habuere Palatum. In utraque provincia tam *Canchium* quam *Canarum*, nonnihil frigetur, licet omnis generis frugibus & pecoribus affluant. *Hatuncana* secundum *Herreram* deflectit nonnihil à regia via & distat ab *Ayabire* tantum duas leucas.

Ayavire. *A Chiquana* ad *Ayaviren* iter est quindecim leucarum per plures *Canarum* pagos. *Ayavire* pagus olim uti & hodie multis splendidis ædificiis nobilis, præsertim monumentis defunctorum, quæ reliqua ædificia numero longe superant: sed incolæ illius, per Hispanorum bella civilia, pene funditus deleti: præterlabitur pagum amniculus cuius nomen non produnt. Credo hunc locum esse, quem Author meus qui has partes superioribus annis peragravit, Hispanis dicit vocari *las Sepulturas*, ubi totius Peruviæ antiquissima visuntur monumenta, & saxa ingentis molis, & tam eleganter polita, ut monstro simile videatur barbaros sine ferreis aut chalybeis instrumentis eadem ita potuisse polire, quod tamen attritu perfecisse satis constat.

Colle. Ab *Ayavire* incipiunt *Colle*, qui maximam & frequentissimam regionem possident totius Peruviæ, ab hoc loco usque ad *Caracollo*: habent autem fines ad ortum quidem vasta Andium juga, ab occasu autem montes nivales: qui duo montium ordines ab oppido *Cusco* utrimque paulatim se deducunt & relinquunt in medio latissimam planitiem, quam vulgo vocant *El Collao*.

Parinacocha. Porro inter *Ayaviren* & mare pacificum seu plana Peruviæ, interjacet ingens solitudo, quam vocabant *Parinacocham*, triginta & duas leucas occupans, ut tradit Herrera: *Garcilassus* scribit *Cocha* Peruvianis significare mare aut paludem lacumve, *Parihuana* esse volucres illas quas Hispani vocant *Flamencos*: barbaros autem id nomen dedisse provinciæ grandi, fertili & amoenæ, atque auri divitiæ; alii contra scribunt, frigidam

1, 3, c. 9.

frigidam esse regionem , & nivosis montibus passim obsitam, vallibus item paludosis & tristi uligine pene inviam : per quam tamen , atque per Lucanes populos semita aperta fuerit ad Nascam vallem & Mare Australe. Ab extremis hujus provinciae finibus ad fodinas *Guallaripæ*, sive ut *Garcilassus* vocat *Huallaripæ* sedecim sunt leucæ : à *Guallaripa* ad *Chuquingam* quatuor: est autem *Chuquinga* locus natura munitissimus <sup>Guallari-</sup>  
 & pene inaccessus, quippe ad quem ducat trames angustissimus, & unius tantum ho- <sup>pa.</sup>  
 minis capax , trium leucarum spacio ; claudunt ab uno latere altissimi montes , ab ga.  
 altero fluminis *Abancay* præruptæ ripæ ; quo fit ut valde sit præceps. *Garcilassus* de- <sup>1.3. c. 9. 10.</sup>  
 scribens expeditionem *Inca Mayta Capac* ad provincias *Contesuyo* subjugandas, narrat  
 illum è *Chumpivilca*, ut vocat, profectum, primo obvium habuisse cænosam paludem,  
 per quam necesse fuerit iter silicibus sternere, (quod hodieque manet, summa inter  
 barbaros veneratione, quia ipsum *Incum* una laborasse fama est) atque ita ingressum  
 in provinciam *Alcam*, per angustias imprimis difficiles; atque in alias provincias *Tau-*  
*rismam*, *Cotahuacan*, *Pumatampu*, *Parihuana cocham*: è qua per desertum *Coropuna* ve- <sup>Coropu-</sup>  
 nit in provinciam *Aruni*, & ita porro in *Collahuam*, quæ jungit fines cum valle *Are-*  
*quipa*. Idem describens alteram expeditionem in easdem partes; narrat *Auqui Titu* <sup>1.3. c. 12.</sup>  
 cum copiis transiisse per pontem *Huacachacam* in provincias *Cotapampam*, *Cotaneram*  
 & *Huamanpalpam*; quarum duæ priores habitabantur à *Quechuis*. Inde transiisse flu-  
 men *Abancay*, sive ut ille vocat *Amancay*, (cujus unum brachium descendat juxta  
*Chuquimcam*, duobus præliis Hispanorum nobilem;) & ingressum solitudines *Hualla*  
*ripæ*, aurifodinis quondam celebris , & triginta quinque leucarum itinere penetrasse  
 in vallem *Hacari*. Atque hæc per digressionem dicta sunt, (nam hæ provinciæ ad  
 Limanum pertinent conventum) regrediamur ad viam regiam & iter institutum.

## C A P . III.

*Provinciæ Collao particularior descriptio.*

**T**O TA regio *Collao* plana est , & crebris amnibus intersecta, pascuis imprimis <sup>Collao.</sup>  
 lœta, unde hic plures sunt pecudum greges, quam in aliis Peruviæ provinciis;  
 30 gramen æstate haud secus quam in Hispania arescit. Hyems illorum ab Octo-  
 bri durat in Aprilem ; magis hic alget, quam in ulla Peruviæ regione, si nivosos mon-  
 tes excipias. Hujus causam comminiscuntur hanc: quod planicies hæc editissima  
 sit instar montium ; vento paulo vehementius flante, iter hic permolestum, sed sudo  
 atque sereno cœlo longe jucundissimum, ob amoenissimam camporum faciem. Cœli  
 autem frigiditate fit, ut neque Mayzii neque aliarum frugum satis fertile sit solum,  
 nec arboribus fœcundum. *Annona* ipsorum principalis, sunt *Papæ* radices, quas ad  
 solem siccatas in penuariis recondunt & vocant *Chunno*. Hispani harum radicum  
 commercio, rem familiarem supra modum augent, maxima enim copia ducunt illas  
 ad fodinas Potosianas : hisce succedaneam habent alteram, quam vocant *Ocam*; nec  
 40 *Quinua*, de qua alibi diximus, destituuntur. Tritico autem & Mayzio utuntur ad-  
 vectitio; quamquam sunt qui utrumque etiam pluribus *Collao* regionibus nasci testen-  
 tur. In eadem regione reperiuntur certa animalia, quæ vocant *Biscachos*, quorum  
 caro similis est nostratis cuniculis ; caudas habent oblongas instar sciuri. Itemque  
 certæ aves, mole sturnorum, plumis alaudæ, sed sub ventre viridibus, longo rostro atq;  
 cauda, vocant *Pito* : solet autem rostro suo petras excavare ut in iis niduletur: Sunt  
 qui naturali industria certam herbam ad hoc opus adhibere narrent, quam propterea  
 Hispani vocant *Ierva del Pito*; cui miras tribuunt vires, ad ferrum & durissima quæque  
 perforanda.. *Collæ*, (id barbarorum est gentile nomen,) ingenio sunt satis prompto &  
 mediocri industria: nam & ante Hispanorum adventum Solis Lunæque cursus di-  
 50 stinguere noverant, & annorum mensiumque rationes & numerum inire : Annum  
 Mari, diem *Auro*, Lunam *Alespaquexe* appellantes.

Ab *Ayavire* secundum Regiæ viæ ductum ad *Pucaram* leucæ numerantur quatuor, <sup>Pucara.</sup>  
*Pucara*, ut alibi jam notavimus, ipsis sonat locum munitum; hodie hic tantum magnorum  
 ædificiorum ruinæ, lapideaque visuntur hominum simulacra : rarissimi incolæ,  
 quum locus superiori seculo frequentissimus fuerit. Hic memorabili prælio victus  
 fuit *Franciscus Hernandez de Giron*, de quo in Historiis Hispanorum..

A *Pucara*

Hatuncollam leucæ colliguntur quindecim. Interjacent minores aliquot pagi, *Nicasio*, *Sullaca*, alii: *Hatuncolla* caput gentis, nam *Hatun* Peruvianorum idiomate sonat magnum; nunc tantum umbra illius, quod quondam fuit. Notandum autem ab *Ayavire* aut à *Chuncara* ut scribit *Garcilassus*, viam regiam Collasuyo se dispescere in duas semitas *Vmasuyo* & *Orcosuyo*, quæ *Lacum Titicacam* medium complectuntur; quarum illa jacet ad ortum illius, hæc ad occasum. Illa tendit ad pagos *Horuro*, *Assillo*, *Assangaro*, aliosque quamplures & pecore divites & annona abundantes. Haud procul ab hisce in montana regione oritur fluvius *Caravaye*, è quo magnam copiam absolutissimi auri & olim haustam fuisse ferunt & quotidie hauriri; sed provincia illa valetudine incolarum infamis habetur. Qui à Potosia 10 veniunt, postquam *Ayaviren* attigerint, iter flectunt ad dexteram ut *Caravayam* adeant.

Denique in provincia *Collao* (inquit *Monardes*) locus est prorsus nudus, in quo nulla arbor, nulla planta nascitur, quoniam terra bituminosa est, ex qua Indi liquorem eliciunt, ad plurimos morbos curandos utilem, hac ratione: Scindunt terram in cespites, quos loco Soli exposito, supra perticas aut crassiores arundines disponunt & vasa ad excipendum liquorem apta subjiciunt: nam solis ardoribus liquefit hoc bitumen aut succus terræ inclusus, remanentibus cespitibus siccis & sine pingui aliquo humore, ad focum struendum aptis, quia eo loco & ligna & alia struendo ignis idonea desunt; is tamen ignis noxius est, ob densam fumi nigredinem & teturum 20 quem exhalat odorem: nihilominus alterius materiae penuria his cespitibus utuntur.

## C A P . IV.

*Maximi Lacus Titicacæ descriptio.*

1.2.c.6. **I**N medio *Callao* situs est *Lacus*, omnium Americanorum, quorum quidem certa notitia ad nos pervenit, longe maximus atque latissimus, ad cuius ripas plerique harum provinciarum pagi assident; & in majoribus insulis, quæ quamplurimæ in hoc sparguntur, sementem faciunt indigenæ, & pretiosiora quæque recondunt in iisdem. In Juncetis autem atque arundinetis quamplurimæ nidulantur omnis generis volucres, præsertim palustres, interque eas grandes admodum anseres. Ambit octuaginta aut plures leucas, tantæ quibusdam in locis altitudinis ut septuaginta aut octuaginta orgyas capiat; & ventis agitatus ingentes fluctus & æquoreis pares tollat; ita ut fretum quoddam videatur, licet circiter sexaginta leucas absit à Mari Australi; descendunt in illum ab altis utrimque montibus plures amnes & infiniti pene rivuli. Dicitur vulgo *Titicaca*, *Gomare* autem *Tiquicaca*, quæ vox sonat insulam plumbi, ut *Tiqui* plumbum, quod in insulis hujus lacus volunt reperiri. Caput illius abest à Metropoli *Cusco* leucas quadraginta. *Acosta* describit illum diligenter, quem audire operæ precium fuerit.

Totorora. In hunc Lacum (inquit) supra decem descendunt justæ magnitudinis flumina, unum autem tantum habet emissarium, haud valde latum, verum supra modum altum, per quem aqua tam perniciter decurrit, ut pontem hic moliri lapideum aut sublicum plane sit impossibile, ne ratibus quidem aut cymbis trajici posse affirmant: verumtamen barbari mira industria pontem stramineum funibus utriusque ripæ firmiter alligatum superstruxerunt, qui & levitate sua facile sustentatur & vinculorum tenacitate, nullo discrimine ab hominibus atque jumentis transitur. Triginta & quinque leucas patet in longitudinem Lacus, in latitudinem, qua maxime se pandit, quindecim; multæ in eo visuntur Insulæ, & cultæ olim & habitatae, nunc vero vastæ & vacuae: Juncorum quædam species in illo nascitur, quam accolæ vocant *Totororam*; hisce ad quamplurima utuntur, nam & in cibis usurpant barbari; iisdem & porcos saginant, aluntque jumenta: integrunt iisdem tuguria sua, consuunt ex illis linters, instruunt focum, denique *Vri* adhibent pene ad omnia quæ vita humana flagitat. *Vri* (inquam) brutale hominum genus, & vix quicquam humani præter formam fortiti, qui olim junceta Lacus incolebant, & super juncos ratium in modum connexos per Lacum fluitabant & à fluctibus nunc in hanc nunc in illam impellebantur partem. 1.3.c.16. Aqua hujus Lacus (inquit idem) neque penitus amara aut salsa est instar maris, turbida

bida tamen & crassa & potari prorsus inidonea. Duas species piscium nutrit, quorum primam vocant indigenæ *Suchos*, qui majores sunt & saporis neutiquam ingrati, sed phlegmatici atque insalubres: alteræ ab Hispanis *Bogæ*, multo salubiores, licet minores & pluribus ossibus praediti. Scribit *Garcilassus* ab his multum diversa; *Suchos* 1.8.c.22. admodum pingues esse, ita ut non alia pinguedine ad friendos opus sit; *Bogas*, ministos esse, mala forma & pejore sapore. Nutrit præterea palustres aves pene infinitas, anseres, anates & similes. Quum accolæ hospitibus suis, qui secundum utramque Lacus ripam iter agunt, gratificari volunt, plurimas rates, quas vocant *Balsas*, contrahunt in unum, iisque anseres & anates in ambitu veluti indagine cingunt, donec easdem manu capiant. Postquam autem emissarium pene quinquaginta leucarum iter descenderit, alterum sed minorem facit Lacum, quem vocant *Pariam* vel de *Aulagis*, multæ hic quoque visuntur insulæ, nullum autem emissarium, ita ut multis persuasum sit, hunc Lacum per occultos terræ meatus, in Australem Oceanum se exonerare, idque eo potissimum argumento, quod fluvius quidam, haud procul hinc in mare exeat, cujus fontes ignorantur. Ager qui Lacum majorem ambit, pecore abundat, maxime autem suibus, ob Totoræ copiam, qua pecus hoc mirum in modum delectatur atque pinguescit.

## C A P . V .

<sup>10</sup> Relique provinciæ Collao secundum Regiam viam quæ dicit à Cusco ad oppidum de la Paz: Chiquito provincia & Nuestra Sennora de la Paz in Chuquiabo.

**A**B Hatuncolla dicit via Regia per *Paucarcollam* & reliquos Collarum pagos ad Provinciam *Chiquito*, vel ut *Garcil. vocat*, *Chucuyta*; quæ frequentissima est omnium harum regionum & amoenissima: pagi qui hic visuntur sunt sequentes: primo *Xuli* sive *Zule*, locus frequentissimus, adeo ut author quem jam crebro citavi, xili. affirmet, ibidem habitare triginta millia barbarorum; & patres Societatis hic tres habere scholas, & immensis opibus affluere. Dein *Chilane*, *Acos*; tum *Pomata* itidem <sup>Pomata.</sup> frequens & opulentus pagus: *Cepita* denique juxta emissarium Lacus, à quo & nomen meruit. Ingæ hic quondam suos habuerunt publicanos qui portorium exigebant ab iis qui stramineum pontem transibant. Incolæ abundant pecore, præsertim hisce regionibus domestico; in plerisque pagis jam tempora sunt condita; indigenæque præsertim nobiliores avide amplectuntur religionem Christianam..

*Chiquito* oppidum Hispanorum, distat à Metropoli Charcarum *la Plata* supra centum leucas versus Corum; ad ripam Lacus Titicacæ: habet Præfectum (uti ab eo accipi qui nuper viderat) primæ dignationis, ubi ab ipso Hispaniarum rege constituitur, est enim præfectura imprimis quæstuosa; nam quum stipendium annum sit decem millium, emolumenta illius ad quadraginta millia ducatorum putantur ascendere: Episcopum Charcensem agnoscit urbs.

Haud procul à *Cepita* jacet *Quaqi* pagus, ubi Reges Peruviae olim habuere Palatium, Hispani autem Templum & Scholam in qua barbarorum juventus, principis religionis Christianæ imbuitur.

*Tianguanaco* sive ut *Garcilassus* scribit, *Tiabuanaco* jacet trans dictum emissarium, <sup>naco:</sup> mediocris quidem pagus, sed stupendis ædificiorum molibus visendus: præter quas hic cernitur quidam collis, valido muro cinctus, supra quem duæ statuæ humanæ sunt collocatae, è saxo tam eleganter cælatae, ut à peritissimis statuariis merito videantur effictæ, præterea gigantea mole, & vestibus oblongis, & velamentis capitum peregrinis, atque à consuetudine vulgari Peruvianorum multum diversis: juxtas statuas videntur vestigia antiquissimi ædificii, cuius hodie tantum parietes superunt, è prægrandibus saxis compositi, pluraque antiquitatis monumenta, ut jure antiquissimum totius Peruviae municipium possit videri: à quibus populis sit conditum in tanta antiquitatis ignorantia, deprehendi non potest. Scribit de hisce antiquitatibus *Cieça* capit. cv: & *Garcilassus* lib. IIII. cap. I.

A *Tianguanaco* ad *Viacham*, sive ut *Garcilassus* vocat, *Huaycu* pagum secundum viam <sup>Viacham:</sup> regiam

Guarina. regiam sunt leucæ septem. Prætereuntur autem ad sinistram *Cacayavire*, *Caquingera* (*Garcilasso* ut opinor *Cauquicura*) *Mallama* & plures alii pagi. Haud longe hinc jacet planicies *Guarinæ* vel *Huarinæ* (ut scribit *Garcilassus*;) præcio Hispanorum inter se memorabilis. Qui oppidum *de la Paz* petunt, hic paululum divertunt à Regia via ad Pagum *Laxam*, qui unius tantum diei itinere distat ab oppido illo.

*La Paz.* Oppidum *Nuestra Sennora de la Paz*, quod & *Pueblo Neuvo* dicitur ab Hispanis, atque etiam *Chuquiabo* à provinciæ gentili nomine, situm est in medio *Collao*; à *Cusco* centum ut *Herrera*, aut ut *Cieça* tradit circiter octuaginta leucas: ab oppido *de la Plata* octuaginta aut nonaginta; à *Lima* ducentas & viginti; à *Potosia* octuaginta; ab *Oropesa* in valle *Cochabamba* quinquaginta. Occupat modicam vallem inter editos montes, & aquarum scaturigine, & lignorum copia imprimis laudatam; aliqua hīc arva, in quibus Mayzii sementem faciunt; & plures fructiferae arbores: reliqua annona ex calidioribus vallibus & vicinis provinciis subvectatur: Labitur præter oppidum amniculus limpidus & potari pulcherimus. Provinciam *Chuquiabo* ab Aurifodinis d.8.1.5.c.3. nomen accepisse opinantur *Herrera* & *Chuquiabo* barbarorum lingua sonare auri hereditatem, sed repugnat *Garcilassus* & interpretatur lanceam principalem. Cœlum hic frigidius & solum satis aridum: Pluit hic à Decembri ad Martium, ab Aprili autem ad Augustum friget & gelat interdum, ita ut herbæ atque arbores arescant: September, October, November maxime fudi & temperati; his mensibus germinant hic arbores uti in Hispania Martio. Venti hic haudquaquam graves & cœlum fere sudum, aëisque temperatus & salubris; præterquam frigidissimis mensibus, tum enim catharris & hypochondriorum doloribus hic laboratur. Oppidum ipsum ad radicem montis conditum, ut à ventorum injuria magis tutum esset; in profundam vallem & quæ vix dimidiā leucam ambit, despiciens. Plures habet fontes; passaque longe optima: alit ager vites & ficus, aliasque fructiferas arbores: mense Januario incipiunt omnes fructus maturescere; uvae autem à medio Aprili ad exitum May.

Indigenæ hujus provinciæ mediocris sunt industriæ, pusillanimes, & ut facillime quid addiscunt, ita cito ejusdem obliscuntur: utuntur jam vestibus coluntq; Christiana Sacra. Andes distant ab ipsorum finibus leucas decen. Præstantissima hic dicuntur esse auri metalla, & salinæ quoque, quæ copiam salis vicinis provinciis magno compendio subministrant.

Vallis *Caracato*, quæ ad provinciam hanc pertinet, longe optimas fert uvas, & harum regionum primas.

1.3. c.26. Anno 1515 LXXXI (inquit *Acosta*) mirabile quid accidit in hac provincia; bona quippe pars pagi *Angoango*, cuius incolæ habentur insignes præstigiatores, ex improviso à vicino monte fuit obruta, ita ut multi mortales suffocarentur; terra autem decidua in modum aquæ effusæ, spatio unius & dimidiæ leucæ ita procurrit, ut exiguum lacum totum oppleret, totaque via qua incesserat, spargeretur.

## C A P. VI.

40

*Via Regiæ Collasuyo progressus usque ad oppidum la Plata.*

**S**UPERIOR E Capite viam regiam sequuti usque ad *Viacham*, paululum ab illa divertimus ut oppidum *la Paz* in transitu salutaremus; nunc viam repetimus.

*A Viacha* transitur ad *Hayo-Hayum*, ubi *Tngæ* quondam Palatum habuerunt imprimis magnificum.

*A Hayo-Hayo* ad *Siquisicam* olim tantum pagum, nunc municipium satis frequens, postquam hic argenti venæ fuerunt inventæ satis opulentæ, uti accepi ab iis qui superioribus annis hic fuerunt; distat à *Potosia* sex & sexaginta leucas.

*A Siquisica* ad *Caracollum* undecim numerant leucas, pagus est in patenti planicie situs haud longe ab amplissima provincia *Paria*. *Garcilassus* describens quo pacto *Inca Loque Ipanqui* has regiones *Collao* imperio suo adjunxerit, narrat illum ex *Pucara* profectum, primo adiisse *Paucarcollam* & *Hatuncollam*; atque inde *Chicuyto*; cuius præcipui pagi tum fuerint *Hillavi*, *Chulli*, *Pumata*, *Cipita*, alii. A quibus deflectens ad occidentem, adiit atque subjugavit provinciam *Hurin capam*: Subjungit deinceps

Incam

Hayo-  
Hayo.

Siquisica.

Caracol-  
lo.

*Incum Mayta Capac*, venisse ad emissarium *Titicaca* & illo superato, primò imperio *Incarum* adjunxisse *Tiahuanacu*, atque inde movisse in provinciam *Hatum pacassam*, eaque subjugata, venisse *Cacyaviren* atque hic ipsi ultro se subjecerunt tres grandes provinciæ, pecoris divites, & frequentes gente bellicosa; nimirum *Cauquicura*, *Mallama* & *Huarina*. Deinceps misisse duces suarum copiarum ab *Hatuncolla* versus occidentem; qui ægre superata solitudine *Hatunpuna*, quæ hic patet in latitudinem circiter triginta leucas, penetrarunt in provinciam *Cuchunam*, eoque deduxerunt duas colonias *Cuchunam* & *Moquehuam*, quæ distant à se invicem quinque leucas. Postilla idem Rex movens è *Pucara Omasuyo*, (quæ est diversa ab illa cuius ante meminimus) profectus est versus ortum, subjugavitque provinciam *Llaricassam*, & mox *Sancavan*, quæ provinciæ amplissimæ erant: patebant enim in longitudinem quinquaginta leucas, in latitudinem partim triginta, partim viginti. Inde transit in *Pacassam* cuius pars jam ante fuerat domita, rediitque ad viam Regiam quæ dicitur *Omasuyo* juxta pagum qui hodieque dicitur *Huaychu* sive *Viacha*. Et post acre certamen cum incolis ad ripas fluvii *Huaychu*, adjunxit imperio suo pagos omnes ab *Huaychu* ad *Callamarcam*, qui occupant triginta leucas versus meridiem. Inde promovit quatuor & viginti leucas ad *Caracollo*, & subjugavit pagos omnes ad dextram & levam à via Regia usque ad lacum *Parie*.

*Paria*, uti diximus, amplissima est provincia, habens oppidulum ejusdem nominis, distans à *Potosia* sexaginta aut circiter leucas, ad quam oppidani plurimos cassos venum ducunt. Cæteri hujus provinciæ pagi, jacent ad ripam emissarii magni Lacus *Titicaca*, aut paulum ab illo discreti, uti *Coponata* & alii. Ultra *Pariam* quoque varii incoluntur pagi *Pocoara*, *Macha*, *Caracara*, atque *Moromoro*. Sub Andibus autem plures populi degunt in diversis provinciis, de quibus nihil singulare accepimus.

## C A P . VII.

*Urbis la Plata sive Chuquisacæ descriptio; nec non minorum aliquot oppidorum.*

**M**ETROPOLIS hujus Conventus Juridici *la Plata*, distat ab Äquatore *la Plata* versus Austrum gradus novemdecim secundum *Herreram* (in quo tamen & falli & sui immemorem esse suspicor, siquidem ipse alio loco cum *Acosta*, hanc ad eandem altitudinem collocat cum *Potosia*) & duos supra septuaginta gradus à Meridiano Toletano versus Occidentem. In distantia ab urbe *Cusco* variant autores, *Didacus Fernandez* numerat centum octuaginta leucas, *Herrera* centum & quinque supra septuaginta; *Augustinus de Zarate* centum & quinquaginta. Provincia barbarorum lingua dicebatur *Chuquisaca* (quod nomen etiam urbi non raro tribuunt scriptores Hispani:) Ager frugum fertilis, tritici atque hordei ferox, vitiumque & aliorum fructuum patiens. De cœli qualitatibus diversa tradit *Herrera*, hīc enim temperiem aëris egregie laudat, *Cieçam* hād dubio authorem secutus, alibi autem contra (forte *Augustino de Zarate* credens) supra modum frigidum dicit, idque contra clymatis naturam: in quo hād dubio fallitur, nam *Acosta* & diligens & idoneus Author, inter admiranda hujus regionis recenset, quum *la Plata* & *Potosia* ad eandem *Poli* altitudinem sint constitutæ, & non supra octodecim leucarum intervallo discretæ; quod tamen ager *Potosianus* supra modum frigidus, aridus atque infœcundus sit; Platæ vero contra calidior, temperatus, fœcundus & amœnissimus, quippe qui & fructus Hispanenses benigne ferat. Porro in hoc opido celebratur Conventus Juridicus totius provinciæ *Charcarum*, unde & incolis valde frequens est: hic & Cathedralis Ecclesia & aliquot monasteria Dominicanorum, Franciscanorum & aliorum ordinum visuntur. (Episcopi redditus annui dicuntur esse octuaginta millia ducatorum.) Limites hujus Diœceseos longe lateque patent, variisque rigantur amnibus: antiqui indigenæ dicebantur *Charæ* & *Carangues*, bellicosæ gentes atque feroce. Peruviae Monarchæ superioribus seculis hīc multa mancipia occuparunt in metallis eruendis & eliquandis, imprimis è monte

*Parco sive Porco*; è quo ingentem illam argenti copiam, quam Hispani in Peruvia thesauris repererunt, egestam satis liquet: Metalla hujus montis à *Pizarro* denuo sunt tentata, antiquis cuniculis egestis & repurgatis; nec dubium est quotannis ducenta millia ducatorum egerere potuisse, si, ut cœperat, pertendisset. Plurima præterea hic sunt metalla, atque adeo totam hanc regionem ditissimas argenti venas abscondere, constans est fama, unde & urbi nomen inditum. In agro denique hujus oppidi, si *Herrera* audiamus, degunt in variis prædiis & villis, quas vocant *Charcas*, Hispani supra octingentos: & in Diœcesi supra sexaginta millia barbarorum vectigalium; qui in viginti novem portiones, *Repartimientos* vocant Hispani, sunt divisi: ita ut hujus oppidi atque agri incolæ dívitiis atque omnium rerum opulentia cæteros Peruvia incolas præcellant.

*I.3.c.14.* Ad hanc Diœcesin præter pagos jam ante enumeratos, pertinent *Totora*. *Tapacri* *Tapacri*, provincia (ut scribit *Garcilassus*) fertilissima, & indigenis frequens, & pecoris dives, patens in longitudinem viginti leucas, in latitudinem plusquam duodecim. Notandum autem inter hanc provinciam & *Collao* interjacere vastam solitudinem, & circiter triginta leucas latam, in qua plurimæ reperiuntur scaturigines admodum ferventes; distat *Tapacri* octo leucas à *Cochabamba*. *Sipipe* de qua nihil accepi. *Cochabamba* vallis imprimis fertilis & tritici atque Mayzii ferax, pascuisque abundans: in qua oppidulum à Pro-Rege *Francisco Toletano* conditum *Oropesa* nomine, viginti leucis ab oppido *la Plata*, cuius incolæ agris colendis & pecuariæ gnaviter incumbentes magnum faciunt quæstum: accepi ab iis qui hac iter habuerunt, distare à *Potosia* secus viam quæ dicit ad *Cusco*, leucas duas supra triginta: fruges autem suas & pecora potissimum ducere *Potosiam*.

*I.3.c.14.* Scribit *Garcilassus*, in valle *Cochapampa*, ut ille effert, ob insignem ubertatem ab Hispanis anno 1565 conditum fuisse oppidum *S. Petri de Cardenna*, quodan idem sit cum *Oropesa*, ambigo.

*I.3.c.15.* Præterea *los Carangues*; *Chayanta*, de qua *Garcilassus* scribit, à *Cochabamba* transiri in hanc provinciam per desertum longe sterilissimum, triginta pene leucarum, in quo nihil visitur præter petras & præcipitia, & tribulis quo aculeos ferunt oblongos instar digiti humani & ita validos atque acutos, ut acuum & acicularem usum suppleant; sunt autem toti Americæ familiares: provinciam autem *Chayantam* patere in longitudinem leucas viginti, in latitudinem fere totidem.

*Chaqui*. *Chaqui* provincia, proprie *Charcarum*, in qua Hispani hodie oppidulum incolunt ejusdem nominis, quatuor leucis à *Potosia*; cœlum hic frigidius, sed ager pascuis latius; unde oppidani hic potissimum pecuariæ dant operam.

*Los Chicas* populi, qui plures pagos incolunt.

*Augustinus de Zarate* addit his *Poconam*, quædraginta leucis à *la Plata* & octuaginta à *Paria*. Alii quoque prope *Chicarum* regionem vallem *Moxotoro*, in qua plurima sunt viridaria, & fructuum omnis generis, vini & Sacchari copia.

*Chacomo-* *Chacomo-* *mayo.* Inter oppidum *de la Plata* & *Potosiam* labuntur duo fluvii; quorum unus distat ab urbe circiter duas leucas, *Chacomayo* vocant Indigenæ, qui ponte sublico jungitur & plures agit molas. Alter *Pilcomayo* distat à *Potosia* duodecim leucas, à *Plata* sex, cuius ripæ lapideo ponte junguntur, quia pluviis mensibus intumescit, ut vado non possit transiri.

In hac regione nulli sunt lupi, sed alia ferocia animalia, quæ Hispani quidem vocant tigres, barbari autem *Ottorongos*, similia sunt leonibus pardis, mole vitiorum, quæ pecudes, atque adeo armenta atque jumenta dilaniant, nec abstinent ab hominibus, si obvios habeant. Nec desunt leones, sed neutiquam tam feroce quam Africani, ita ut à canibus facile superentur.

*Misque.* Circiter triginta leucis à *Chuquisaca* versus ortum, jacent tria oppidula, præsidia contra *Cheriquanas*, *Tomina*, *la Lagunilla*, & *Tarixa*; quæ plurimum tritici, Mayzii, fructuum variorum, Sacchari & similiūm ferunt; quæ universa ad hanc urbem aut *Potosiam* subvehunt.

Præterea circiter quinque & viginti milliaria à *la Plata*, jacet oppidulum *Misque* à quo

à quo multa vina ad *Potosiam* subiectantur: intermedio itinere labitur fluvius quem Hispani vocant *de Condorillo*, octo quidem leucas à *la Plata*, septendecim autem à *Misque*; ager hujus oppiduli & tritici fertilis & vitium tolerans.

## C A P . V I I I .

*Urbs Potosia & opulentissima illius Argentifodinae.*

**I**MPE RIALIS (ut Hispani vulgo loquuntur) civitas *Potosia*, sita est ad altitudinem unius & viginti graduum & quadraginta scrupulorum ab Äquatore versus Austrum, ut testatur *Acosta*, quem ut accuratum scriptorem in hoc lubenter sequimur, licet alii hanc magis ad äquatorem retrahant. Octodecim leucas ab oppido *la Plata*: octo à *Lacu Paria sive de Aulagis*, denique sexaginta supra centum à *Cusco*, itinere satis expedito & per provincias incolis frequentes: octuaginta autem circiter ab *Arica* ad mare Australe; denique à *Buenos Ayres* ad flumen Argenteum oppidum, ut plerique tradunt, trecentas & quinquaginta & plures, ut suo loco dicitur. Cives Hispanos numerat circiter sex aut quatuor mille; & longe plures advenas: ingens enim hic est concursus mercatorum, atque etiam otiosorum hominum qui tantum aleæ & voluptatibus dant operam. In suburbis ac vicinis agris degunt ut plurimum triginta aut plura millia barbarorum, qui in metallis occupantur, & etiam è valde longinquis provinciis adveniunt, ut Hispanis hanc servitutem serviant. Regitur à suis magistratibus; quorum caput est *Præfetus Hispanis Corregidor*, quem Rex Hispaniarum mittit ad triennium, cuius annum stipendum alii scribunt esse tria millia ducatorum quotannis, alii decem millium, nam emolumenta immensa sunt. Cœnobia monachorum hic plura sunt & opulentissima, nec deest collegium Societatis, & monialium conventus. Licet autem ager sit frigidissimus & valde sterilis, quippe qui nullas fruges ferat, præter avenam, quæ tamen raro maturescit, sed fere secatur instar fœni ut jumentis serviat: tamen hic omnium rerum summa est copia, nihilque deest non modo ad necessitatem sed & ad voluptatem.

Famosissimum autem montem describit *Acosta* ad hunc modum: Celeberrimus *Potosi* mons situs est ad altitudinem unius & viginti graduum & quadraginta scrupulorum, intra Tropicum Capricorni, & in torridæ Zonæ pene extremo; nihilo tamen secius, regio hæc longe frigidior est, quam Belgium, ne dicam Hispania; quum pro ratione clymatis calidam vel saltem temperatam esse oporteret; in causa est Soli altitudo & frigidorum atque tempestuosorum ventorum fere continuus flatus; præcipue illius quem hic vocant *Tomobavi*, longe frigidissimi, qui hic Maio, Junio, Julio atque Augusto regnat. Solum in ambitu aridum, frigidum, inanum, squallens & non modo frugum, sed graminis quoque & herbarum infecundum, ita ut per se inhabitabile sit: verum argenti sitis non modo hunc locum totius Peruviæ frequentissimum, sed & omnibus rebus affluentissimum fecit: nam licet vicina regio etiam necessariorum indigat, omniaque è longinquis provinciis subvehere necessarium sit, tamen fora venalium, nunquam non omnimodis fructibus, cupediis, optimis vinis, pannis sericis, aliisque rebus omnibus & ad ornatum & ad voluptatem necessariis ad miraculum sunt plena. Mons *Potosi* eminent supra vicinos, tentorii aut panis *Sacchari* in modum, colore obscure rubenti, jucundo aspectu; ascensi per se difficilis, licet jam equis quoque ascendatur: radices illius occupant unam leucam; vertex definit in conum, à quo ad imas radices mille sexcentæ & viginti quatuor decempedæ numerantur, quæ ad mensuram Hispanicam revocatæ quartam leucæ partem constituunt. Hujus radicibus adhæret ramentum montis, quod à majori oritur, ubi quondam argenti massæ veluti in loculis quibusdam & solutæ extra venas fuerunt repertæ, ditissimæ quidem, sed paucæ: Ramentum hoc vocant barbarorum lingua *Potosi guaynam*, id est, minorem; ab hujus declivi incipiunt Hispanorum & barbarorū ædificia, quæ pene duas leucas ambitu suo complectuntur, ita ut hoc oppidum totius Peruviæ sit amplissimum. Metalla hæc ignorata fuerunt Peruviæ Monarchis, & duodecimo demum anno post Hispanorum in Peruviam ingressum, casu à barbaro quodam inventa: Anno autem cīo lō xl v duas fodinæ à *Villaroele Hispano* & *Guanca* barbaro primum inchoatæ, quarum una

*Rica*, altera vena *Didaci Centeni* dicitur: paulo post & tertia quam ob duritiam pene siliciam vocant *del Est anno*; denique mense Augusto ejusdem anni quarta, quam *Mendietam* appellant. Atque hæ quatuor præcipuæ hujus montis fodinæ. De prima quam divitem diximus appellari, narrant, argenti venam lanceæ altitudine supra terræ superficiem instar cristæ galli gallinacei protuberasse, longitudine trecentorum pedum & latitudine tredecim, opinanturque ita à diluvii tempore nudam relictam, ob insignem duritiem nihil à fluctibus passam. Tanta autem hujus metalli opulentia erat, ut dimidia pene pars purum putum esset argentum, idque ad quinquaginta aut sexaginta orgyas in profundum, ubi non nihil mutari cœpit. Divitiae famosissimarum totius orbis fodinarum, quarum quidem veteres scriptores meminerunt, cum hujus opulentia nequaquam comparandæ: nam & libri regii loquuntur & senes fide digni teſtantur, quum Licentiatus Polus hic præſideret, pluribus annis post primam inventionem jam exactis, singulis Sabbathi diebus, ad ipsum adferri solita, ut quinta Regis portio deduceretur, centum quinquaginta & interdum ducenta millia pezorum (quorum singuli valent octo regales Hispanienses) ita ut hæ fodinæ triginta ad minimum millia subministrarent in singulos dies: nec tamen omne argentum, & forte ne dimidia quidem pars ad Præfectum fuit allata: Usitatum namque in Peruvia argento signato (quod vocant *Corriente*) quo in commerciis utuntur, quintam non deducere: Satisque constat primis illis temporibus maximam argenti partem in pecuniam versam fuisse. Id quoque harum fodinarum præſtantiam arguit, quod 20 putei nonnulli jam ad ducentas orgyas in profundum acti, nullis dum aquis infestentur: quum in nobilissimo Hispaniæ puteo *Bebelo*, qui Hannibali ccc pondo subministravit in dies, ad mille quingentos passus cavato monte, per omne id spatium Aquitani stantes diebus noctibusque egerere aquas, lucernarum mensura, amnemque facere coacti fuerunt, ut *Plinius* scriptum reliquit: & *Porcenses* putei, dirissimis alioquin venis referti, ob aquarum copiam jam deserti fuerint. Quid multa? Rex Hispaniarum ex fodinis *Potosianis* quotannis percipit millionem ducatorum, idque ex quinta parte argenti tantum, ut interim taceam cætera emolumenta quæ ex argento vivo & vestigialibus consequitur. Ita ut rationibus per viros harum rerum scientissimos accurate subductis, tempore Pro-Regis *Francisci Toletani*, certo constiterit à prima 30 inventione ad annum  $c. 1515$  septuaginta & sex millions hic fuisse quintas; post illa adhuc majorem argenti vim egestam volunt. Siquidem *Acosta* alibi testatur anno  $c. 1515$   $c. 1587$  utraque classe, tam Peruviana quam Novæ Hispaniæ, undecim millions in Hispaniam advectas, quarum pene dimidia pars ad Regem pertinebat, & fere duæ tertiaræ è Peruvia venerant.

## C A P. IX.

## Alia observatu digna de Argenti fodinis Potosiæ.

1. 4. c. 8.

**I**osephus de *Acosta* scribit, quatuor principales illas venas, quas supra designavimus, 40 sitas esse ad orientale montis latus; extendi autem ab Arcto ad Austrum; latas esse ubi maxime, pedes sex, ubi minimum, unum; spargere autem se in plures minores veluti ramos; qui diversos dominos agnoscant. Maximam venam tenere octuaginta ulnas; minimam quatuor. In vena *Rica* numerantur septuaginta octo putei, qui descendunt in profundum ad centum & octuaginta, & interdum ducentas altitudines corporis humani. In vena *Centeni* numerantur quatuor & viginti putei, quæ descendunt ad sexaginta & octuaginta ejusmodi altitudines. Ut tantæ altitudini obviam iretur, inventi sunt cuniculi, quos vocant *Socabones*, per quos à latere montis penetratur ad venas. Credunt enim illas ad radicem usque montis descendere, & in fundo longe opulentiores futuras, licet experientia haec tenus contrarium docuerit. Ejusmodi cuniculi fere ad altitudinem corporis humani sunt egesti, latitudine octo pedum: clauduntur suis portis; & domini cuniculorum accipiunt quintam partem metalli quod educitur. Erant, quum *Acosta* scriberet, nimirum anno  $c. 1515$ , jam novem aperti, pluresque aperiebantur. Eorum unus quem vocant *del Venino*, qui dicit ad venam Ricam, perfectus fuerat annis viginti novem, improbo sane labore: licet os illius à loco, ubi puteo jungitur (vocant *El Cruzero*) tantum

tantum absit ducentas & quinquaginta ulnas Hispanenses. Porro Vena argenti ut plurimum conclusa reperitur inter duas veluti rupes, (*vocant la Caxa*) quarum una durissima est instar silicis, altera mollior: metallum autem medium diversi est valoris: est enim quoddam opulentum, (*vocant Cacilla sive Tacana,*) quod plurimum argenti absoluti; alterum inops, quod pauxillum edit. Opulentum metallum eodem est colore quo succinum.

Iter denique à *Potosia* ad *Cusco* (quemadmodum à Belga quodam accepi) instituitur in hunc modum; per provincias *Collao*, ad *Chuquiabo*; transeundum autem per *Sicasicam*; nec tamen necesse est ingredi *Chuquiabo*, sed relinqui potest ad dexteram; hic singulis v, vii aut viii leucis occurunt *Tambos* & barbari, qui gratis ministrant advenis. A *Chuquiabo* ad *Tiahuanaco* numerant novem leucas; hic jam ingens ille Lacus visitur, & agitur iter secundum illius ripas, donec perveniat ad pontem, qui stratus est super illius emissarium; à quo ad *Chicuito* numerant leucas tres: hinc pergunt ad *Ayavire*, à qua via declinat ad dexteram quæ dicit ad *Caravayam*; pergit via ab *Ayavire* ad *Chongaram* & inde ad *Lunacachen*, duo municipia barbarorum, quæ distant à se invicem sex leucas: Hæc regio editissima totius Peruviæ judicatur: à qua ad metropolin *Cusco* supersunt tres & triginta leucæ.

Accepi à Belga qui anno cIo Io c & postea hic vixerat, venam jam in dies parciorum fieri, & quum soleret è centum libris, ducentos atque adeo trecentos pezos absoluuti argentireddere, nunc vix decem, imo & pauciores eliquari: Ratione item eliquandi jam multum diversam esse ab ea quam olim usurpabant, tunc enim venam in pulvrem redactam in exiguis furnis, Hispanis *Guayros*, ore angusto ventis exposito, ignis vi excoxisse: Nunc autem multo labore pulvrem hunc in cisternis ad id comparatis, & aqua subigi, & misceri cum rasuris ferri, aeris, & potissimum cum hydrargyro, pluribusque diebus versari, lavari, & tandem uri in fornacibus, ut hydrargyrum consumatur & abeat in fumum. Porro ad venam metalli frangendam pluribus machinis opus est, quæ ab aquis aguntur instar molarum; aquarum autem indigus est ager, præterquam pluviarum; itaque necesse est illas pluviis mensibus colligere in ingens stagnum, & reductis repagulis emittere certo ordine & mensura; ad molas circumagendas, quas hic sexaginta numerant. In valle quoque *Tarapaya*, quæ duas tresve leucas distat ab oppido, aliquot ejusmodi molæ, ab amniculo circumaguntur. Ad caput denique hujus vallis visitur lacus plane rotundus, cuius scaturiginæ, licet solum in ambitu frigidius sit, ad ripam quidem modice calent, in medio vero ita fervent, ut ab hominibus tolerari non possint: ebullit aqua in medio viginti pedum ambitu: nec tamen, quod mirabile, lacus unquam augeri aut minui cernitur; ne nunc quidem cum canalis ex illo deductus est ad molam, agendam.

*Porcenses* fodinæ absunt sex leucas à *Potosianis*, secus viam quæ dicit *Aricam*, & duas à *Lacu Paria*: quem vocant de *Aulagis*; quæ olim totius Peruviæ celeberrimæ fuerunt, & hodieque valde absolutum argentum edunt; verum ab aquis mirum in modum infestantur.

Sunt & aliæ in hisce partibus fodinæ argenti, quæ *Oruro* aut *Horuro*; & quæ *Berengela* dicuntur, sed de situ earum non satis mihi constat. Dicemus adhuc pauca de finibus *Charcarum*, ubi ad *Tucamanam* pervenerimus, quæ necessario videnda ut lib. xii. regionum vicinarum situs melius percipiatur.

### C A P . X.

#### Provincie Charcensis littus, promontoria, sinus, portus atque stationes.

50

**D**I XIMUS supra Conventus Juridici Limati littus desinete in *Tambopalla*; ibi *Charcensis* Conventus incipit. Decem à *Tambopalla* leucis versus Austrum, littus supra leucam in altum progrediens facit Promontorium, quod tribus eminentibus scopulis tegitur; eo superato aperit se *Ilo* sive *Hilo*, commodus portus, *Hilo.* juxta quem fluvius egreditur, xviii gradibus aut circiter ab *Æquatore* versus Austrum. Ab hoc ad editum montem qui litori imminet & ab Hispanis dicitur *Morro de tos*

*los Diablos* (causa mihi non liquet) sunt leucæ septem. Ab hoc ad modicum amorem cuius nomen non proditur, sed aquæ commendantur, sunt leucæ quinque. Dein ad alterum excelsum montem cui insula objacet ad Euronotum, leucæ decem. Juxta hunc jacet nobilissimus *Arica* portus : quem *Petrus de Cieça & Herrera* collocant ad decimum nonum gradum & viginti scrupula : verum Angli qui cum *Draco & Can-dischio* orbem circumnavigârunt & hæc littora legerunt, ad decimum octavum & triginta scrupula : *Oliverius* autem à *Noort* ad xviii gradus & quadraginta scrupula ; itaque secundum accuratas Anglorum & Nostratum dimensiones ad decimum octavum gradum & dimidium aut circiter censemus collocandum.

Nostrates qui anno c1515 xcix hunc locum adierunt sinum esse testantur, & non tam portum quam stationem esse appellandam: est autem ab Australibus, orientalibus & aquilonaribus ventis egregie defensus, ab occidentalibus non item; & facile adiri potest & sine discrimine, præterquam quod se prodit. *Acosta* scribit illum distare ab Argentifodinis *Potosianis* leucas septuaginta : alii octuaginta ; quod magis probo. Maximus hujus portus est usus; nam omnis argenti gaza quæ è *Potosianis* & vicinis fodinis eruitur, huc ab ovibus Peruvianis bajulari & à paucis Hispanis & barbaris solet conducedi, medio Martii ita ut sub finem illius mensis aut exordium sequentis veniat Aricam ; unde classe paucarum navium portatur Limam, ubi ut plurimum solent appellere sub initium May aut circiter. Itaque hunc locum haec tenus apertum, diligenter superioribus annis muniverunt Hispani, & plura majora tormenta locis idoneis ad littus collocarunt, ut naves hostiles è portu arceant, & exscensum prohibeant. Regitur à Corregidore, ut vocant, quem accipit ab ipso Rege ad sexennium, magnæ ut plurimum dignationis..

*Franciscus Dracu*s memorabili illa in Mare Pacificum expeditione, hunc portum inopinantibus Hispanis ingressus tres ibidem celoces intercepit, in quarum una septem supra quinquaginta argenti massas invenit, viginti librarum singulas: testaturque municipium quod portui adjacet, viginti tantum domiciliis constitisse: verum alii centum aut circiter tribuunt; quod magis verisimile, propter commercia quæ hic exercentur & portus opportunitatem, qua reliquos hujus maris portus aut æquat aut superat: nam omnis argenti gaza è *Charcis* quotannis huc traducitur & mino-ribus navigiis vectatur ad portum Limanum; & vicissim omnes Europæ & Americanæ merces, quas ora Peruviae fert, hic exponuntur & terrestri itinere ad fodinas Potosianas & alia loca conducuntur.

*Pisagua.* Ab *Arica* portu tendit littus ad Africum leucas novem: ubi fluvius *Pisagua* in Oceanum exit: quem *Oliverius* noster ad vigesimum gradum Australem constituit, nescio an accurate. Porro nostrates qui anno c1515 xcix hæc littora adierunt, hæc observarunt: ad altitudinem novendecim graduum & aliquot scrupulorum, sinum semicircularem, pone editum & præruptum terræ cornu: ad altitudinem viginti graduum; pagum *Hickahic*, in terra aspera, sterili & vix quicquam herbidi sortita: atque ita porro ad vigesimum gradum & dimidium, littus præruptum vergens ad Africum, & insulam eidem objectam arenosam & sterilem.

*Hickahic.* *Hispani* à *Pisagua* ad *Tarapacæ* portum statuunt leucas xxv; hic objacet continenti Insula leucam aut circiter ambiens, concluditque quandam sinum quo portus hic continetur ad altitudinem unius & xx graduum ab Äquatore versus Austrum.

*Tarapacæ.* A *Tarapacæ* ad *Tacama* promontorium sunt quinque leucæ. Ab hoc ad portum, vulgo *de los Moxillones*, ad altitudinem duorum & viginti graduum, & triginta scrupulorum leucæ numerantur sedecim. Omnis hæc ora edita est & prærupta. Inter utrumque autem locum, descendit in Oceanum fluvius *Pica*; itemque fluvius *de la Hoya* (quem *Oliverius* noster vocat *de Loa*, & ad vigesimum secundum gradum collat, illiusque terræ indigenas omnium rerum iñdigos, piscibus ægre testatur vitam sustentare) denique annis *Montelo*.

*Pica fluv.* Nostrates, ut supra, agnoscent ad altitudinem duorum & viginti graduum & quadraginta quinque scrupulorum Angulum *Agamæ*, & pone ipsum insignem sinum: & quinque ab hoc leucis versus Africum, *Morromoreno* amplissimum sinum atque portum, qui ab insula objecta veluti clauditur, & adversus incerta ventorum egregie defenditur: facilis est aditu & in ipso ingressu ab Australi plaga quinque supra viginti orgyas

*Morro-moreno.*

orgyas altus , plurimarum navium intus capax : verum neque aqua hic hauriti neque ligna cœdi possunt , ob soli infœcunditatem atque ariditatem ; habitatur tamen telus à barbaris , qui crudis piscibus vi&titant , cæterarum rerum inopes , ingenio stupido , Hispanos supra modum metuentes , quibus & tributum de piscatu suo pendunt , natandi atque urinandi peritissimi , & aquam marinam bibere sueti absque noxa : Denique ut *Richardus Hawkinus* testatur , nihil humani sortiti præter formam & loquaciam , cætera brutis magis affines .

Hinc porro ad Austrum recenset *Herrera* ; *Quebradam* , *Puntam blancam* , *Quebradam hondam* , fluvium *S. Clara* triginta leucas à *Copiapo* valle provinciæ Chilenis ; ceterum incertis intervallis .

Nostrates vero numerant à *Morromoreno* ad alterum terræ cornu millaria duo , & juxta hoc ad Euro-notum exiguum portum & vix trium quatuorve navium capacem , pone insulam quam vocant *de Guana* ; in continenti , sed longius à littore multum salis jacet (Polonico haud absimile) in solo infœcundo , nudo , minimeque herbido . Ulterius versus Austrum observant insulam *de Lobos* , quæ præruptæ Continents potius ripæ quam litori prætenditur , mari prope terram ita alto , ut bolide fundum incassum periclitarentur . Dehinc Anguli *Michaëlis Dias* & Promontorii *de Lopéz* meminerunt , & ut paucis absolvam , regionem hanc omnem usque ad *Chilen* , sterilem , petream , asperam , quæque nec farra nec ullam herbam pariat , & merum desertum esse declarant : altas autem ad mare ripas nec aditu faciles nec humanis vestigiis aptas .

### S<sup>a</sup> C R U X D E L A S I E R R A .

#### C A P . XI.

##### Sancta Crux de la Sierra , & aliquot aliæ vicinæ provinciæ .

**S**UPEREST ut de interioribus quibusdám Provinciis agamus , quæ huic Conventui Juridico accensentur , & præsertim una , quam Hispani à Coloniæ illo deductæ nomine , vocant *Sancta Crux de la Sierra* .

Hoc oppidum (ut testatur *Herrera*) centum pene leucas distat à provincia *Charcarum* proprie dicta , versus orientem , juxta viam quæ dicit ad urbem *Assumptionis* ad flumen *de la Plata* . Provincia autem suum habet Subpræfectum qui à Pro-Rege Peruviaæ delegatur . Ager hujus oppidi , aquarum quidem indigens , non tamen infœcundus , tritici , Mayzii atque adeo vini ferax : Oppidum ad radicem montis situm in patenti campo , à quo cæteræ planicies , & valles aquarum inopes producuntur : ædes incolarum sunt palmarum foliis tectæ ; juxta currit torrens è petra scaturiens , qui restagnat in lacum , quatuor leucis ab oppido , admodum piscosum , adeo ut magna optimorum piscium copia quotidie ad oppidum subvehatur . Solum 40 abundat variis fructibus domesticis & Americæ familiaribus , *Platanis* , *Guayavis* , *Pinnis* , *Granadillis* , *Ambabayis* , *Luiumis* , *Tucumaiis* , qui omnes & saporis bonitate & salubritate commendantur . Palmarum quædam species hic freqtiens : è quarum truncis farina conficitur magnâ copiâ , boni & grati nutrimenti . His accedunt Europæ fructus , uvæ , ficus , melones : Verum arbores hic fere sunt brevis ævi : mala Granatensis & Cidonia maligne patitur tellus , uti & frumentum : licet constans opinio sit in *Chiquitorum* terris ; quæ ad hanc provinciam pertinent , non inutiliter seri posse .

Indigenæ olim incolebant luteas casas , & pluviales aquas cogebant in puteos , peribant nonnunquam siti , aut trucidabant alii alios aquarum causa : exagitabantur denique à vicinis populis *Cheriguanis* miserum in modum : nec minus à *Titanibus* , qui regionem incolunt perfœcundam , & plumbi , æris , atque adeo argenti ut credunt haud expertem , quinque supra triginta ab oppido *S. Crucis* leucis .

*Chiquiti* autem dicuntur esse industrii , bellicosi , & laborum tolerantes : abundant Mayzio , phaseolis , & similibus frugibus & plurimo gossypio : fœminæ utuntur vestibus : mares in bello venenatis sagittis . Plurimi horum barbarorum uti & campestrium *Cheriguanorum* , haud inviti in viciniam atque suburbia hujus oppidi

Chiquiti .

commi-

commigrarunt; Monticolarū *Cheriguanorum* s̄evitiam fugientes, qui humanis carnibus tantopere capiuntur, ut ne cognatis quidem gentibus parcant. Indigenæ porro hujus provinciæ abundant variis tinturis, quas è certis radicibus & virgultorum frondibus exprimere & coquere noverunt, quibus gossypium suum inficiunt. Unde & *Acosta* diserte testatur, gossypium in fila ductum, textumve in hac provincia nummorum vicem supplere.

Paican.

In *Paicanorum* provincia, quæ distat xx leucas ab oppido *S. Crucis*, nascuntur *Cucurbitæ* quædam lagenariæ, per pulchræ aspectu & tam grandes, ut cadum vinicapiant, in quibus incolæ, vestes aliamque supellectilem recondunt. Regio & summum calorem patitur & frigus: nam frigus hic à mense Mayo durat ad principium Augosti, ita penetrabile interdum, ut omnes arbores quæ gossypium ferunt extinguat, *Ambarbas* autem ad imas radices adurat; idque Australi vento pertinacius flante, qui hic à medio Junio ad exitum Julii, veluti imperium obtinet solus. Calor autem maxime intenditur circa festum Nativitatis: festo quoque *S. Francisci* hic plurimum pluit, initio Novemboris faciunt sementem, metunt sub finem Martii.

Molestissimum est iter ad provinciam *S. Crucis*, pluviis quidem & hybernis mensibus ob fluminū exundationes & crebras paludes, maxime ob Palmetum, quod quadriui itinere vix transfitur, multaque uligine & cœno pene invium quod distat ab oppido quinq; & viginti leucas versus occasum. Æstivis vero mensibus imprimis ab exitu Junii ad initium Octobris, ob siccitatem & aquarum inopiam iter itidem est difficile, quo fit ut aquam in lagenulis, summa cum molestia, secum ferre necesse sit, aut siti in itinere deficere. In finibus oppidi crescunt hodie multæ Sacchari cannæ, è quibus incolæ Saccharum conficiunt & longe optimum apozema. Saltus haud longe ab oppido distans abundat variis feris; nemus avibus: inter quas una commemoratur *Pica* similis, sed rostro tam grandi ut è superiori illius parte elegantes lagenulas faciant.

Indigenæ harum provinciarum ingenio sunt bardo, humili, nullaque pene industria, olim quidem Dæmoniorum cultui addicti, nunc Christianorum sacra cœperunt amplecti. Diaguitarum linguam loquuntur ut communem, alias præterea quatuor peculiares, pro diversitate nationum usurpantes. Mares quidem laxis tunicis, quas è struthionum plumis contexunt, amiebantur, fœminæ vero multo arctioribus è paleis aut ovium Peruvianarum lana; nunc gossypii usum edocti, pannis gossypinis ut plurimum utuntur.

*Nuflo de Chaves* primus per hanc provinciam, è Peruvia penetravit in provincias quæ flumini *de la Plata* adjacent anno cIɔ Iɔ xlviii. Abest enim provincia *Itatin* metallorum dives tantum triginta leucas ab hac versus ortum.

l. 7. c. 17.

Plures denique provinciæ barbarorum hanc proxime contingunt, *Chinici cocorum*, *Moxorum*, *Cheriguanorum*, *Tipionum*. Narrat *Garcil. Incam-Ypanqui* olim tentasse *Cheriguanos* monticolas subjugare & urbanioribus moribus imbuere: Itaque misisse suos ad Andes, quibus vicini degebant, in asperis itidem montibus, omnium frugum indigi, adhæc ita feri & humanarum carnium appetentes, ut non modo hostes raptos devorarent crudos, sed & cognatos mortuos ad eundem modum intra viscera sua sepelirent: sed difficultate itineris & asperitate locorum deterritum, destitisse. Idem aggressum Pro-Regem Peruviam *Franciscum Toletanum* anno cIɔ Iɔ lxxii, sed tam inauspicato successu, ut pluribus suorum inedia & laboribus succumbentibus, relictis impedimentis propere fugere cogeretur & ægre evaderet.

Hispani superioribus annis etiam aliud oppidum in hac provincia construxerant, vulgo *Nova Riöia*, itemque municipium *Barrancam*; quæ loca à vicinis barbaris, præfertim *Cheriguanis* haud multo post deleta fuerunt, quum *Comes de Neyva* Peruviam Pro-Rege administraret; *Nuflo de Chaves*, qui præfectum ibidem agebat, ante à barba quodam ex insidiis trucidato.

Video, ab iis qui nuper has partes viderunt, in provincia *S. Crucis de la Sierra* duo tantum oppida commemorari; oppidum nimirum *S. Crucis*, & *Barrancam*: Distare autem à *Potosia* circiter sexaginta leucas. Sed alia quædam oppidula circiter triginta leucis à *Potosia* jaceret, veluti præsidia adversus feroce *Cheriguanos*, *Tominam*, *Lagunillam* & *Tarixam*; in quorum agris plurimum tritici, Mayzii, aliamque

rumque frugum & fructuum nascatur, etiam saccharum. Quum ager *S. Crucis* fruges minime toleret, *Barranca* autem parcè. Denique *S. Crucem* præfecturam esse, *Tarixam* Corregiemmentum, ut ipsi vocant.

## C A P . XII .

Peruvianorum Monarcharum origo & series usque ad decimum  
Yncam Yupanqui.

**A**NTE QUAM ad reliquas provincias Americæ Meridionalis describendas  
10 pergamus operæ premium facturi videmur, si de Peruvianorum Monarchis,  
eorum serie; deque eorundem institutis & regimine pauca dicamus, sicuti  
jam ante de Mexicanis fecimus, siquidem & hi quoque bene constitutum regimen  
habuere.

Narrant Peruviani, ut fere solent omnes gentes, plurima fabulosa, de Regum &  
Reginarum suarum prima origine, quam à Sole derivant, uti videre est apud *Yncam*  
*Garcilassum de la Vega*, libro primo, capite decimo quinto & sequentibus, quæ non est  
necessæ hic referre; scripserunt de Monarcharum horum serie & successione etiam  
alii; in eo fere convenient omnes, uti sequitur.

Primus Peruvianorum Rex, qui tamen satis angustis limitibus imperavit, fuit I.  
20 *Ynca*, *Manco-Capac*, & conjux illius *Coya Mama Oello Huaco* ipsius Germana: à quibus  
Metropolis *Cusco* condita dicitur, circiter quadringentis annis antequam Hispani Pe-  
ruviam ingredierentur, eamque subjugarent.

Observandum autem Peruvianos Reges suos appellasse *Yncas*, id est, Reges vel  
Imperatores & per excellentiam *Capa-Yncas*, id est, Solos Reges: descendentes au-  
tem à Regibus in linea masculina simpliciter *Yncas*: Eundem Regem vocabant  
*Huaccha-Cuyac*, id est, beneficium in pauperes; itemque *Capac*, id est, magnificum;  
denique *Intip-Chutim*, id est, filium Solis; affectabant enim divinæ originis opinio-  
nem: Liberos autem regum mares & ab illis per lineam masculinam descendentes  
appellabant *Auqui*, id est, infantes, donec ducerent uxores, tum, ut supra, vocabant  
30 *Yncas*: Reginam vocabant *Coyam*; concubinas Regis, si consanguineæ essent, *Pallas*,  
cæteras vero *Mamacunas*, id est, matronas: Filias legitimas aut ex illis natas *Nustas*,  
id est, puellas è sanguine regio; illegitimas adjecto nomine provinciæ, è qua matres  
earum erant oriundæ, ut *Colla-Nusta*, *Quitu-Nusta*, &c. magnates denique Regni  
vocabant *Curacas*.

Huic successit *Sinchi-Rocha* primogenitus, qui duxit in uxorem Germanam suam II.  
*Mama Oello*, vel ut alii, *Cora*: hic promovit terminos imperii in *Collao*, usque ad *Chun-*  
*caram* atque etiam alibi: anni regni illius sunt incerti, quidam tamen volunt fuisse  
triginta..

*Lloque-Tupanqui* successit parenti suo *Sinchi Roce*: hic subjugavit *Canas*: domuit III.  
40 *Ayavirios* & in eorum finibus condidit *Pucaram*: subjecit sibi *Collas*, *Chicuytum* & re-  
liquos populos qui accolunt *Lacum Titicacam*: uxor illi fuit *Mama Cava* è qua unicum  
reliquit hæredem, & duas tresve filias.

*Mayta Capac* successit patri: adjecit imperio suo *Hatun-pacassam*, ad levam emis- IV.  
sarii *Titicaca*: itemque *Caquicuram*, *Mallamam* & *Huarinam*; *Llaricassam*, *Sancavan*,  
*Charcasque* usque ad *Lacum Pariam*: *Chuquiapu* quoque & alias provincias: fuit illi  
uxor *Mama-Cuca*, quæ plures illi peperit liberos.

*Capac Ypanqui* successit patri, & promovit imperii limites versus occidentem, sub- V.  
jugando provincias *Yanahuaram*, *Aymaram*, *Cotapampam*: Itemque provincias omnes  
ad utramque fluvji ripam, quem vocant *Amancay* (aliis *Abancay*.) Deinde per so-  
50 litudines *Huallaripa* pervenit ad planiciem, quæ Mari Australi adjacet, & nomina-  
tim ad vallem *Hacari*; à qua transiit & subjugavit *Vuinnam*, *Camanam*, *Caravillin*, *Pi-*  
*stan*, *Quelcan* & alias valles. Uxor fuit *Coya-mama Curi-ypalli* ipsius Germana, quæ  
plures illi genuit liberos.

*Inca Roca* primogenitus successit patri, multis rebus jam ante feliciter gestis: hic VI.  
promovit fines imperii versus septentriones; subjugando *Tacmaram*, *Quinuallam*, *Co-*  
*chacassam*, *Curampam*, *Antahuyallam* maximam provinciam, quam *Chana* incole-  
bant:

bant: & plures alias. Uxor illius & germana fuit *Mama-micay*; è qua plures illi nati sunt liberi.

VII. *Iahuar-Huacac* successit parenti; qui paucas res per se gessit, augurio quodam sinistro deterritus; præfecit autem copiis suis fratrem suum *Mayta*, qui deinceps dictus fuit *Apic-Mayta*, id est, Capitaneus generalis. & adjectum fuit Imperio quantum restabat versus Austrum ab *Arequipa* ad *Tacamam*. Dein plures gentes quæ à *Cusco* versus Arctum degebant rebellarunt, ita ut Rex *Cuscum* cogeretur deserere, verum succurrerit illi primogenitus ipsius *Vira-Cocha*; qui rebelles maximâ clade afflixit; & *Cuscum* reversus, Patrem compulit imperio se abdicare.

VIII. *Vira-Cocha Inca* (de quo mira narrant Hispani, & quem falso principalem Peruvianorū deum suspicunt) patre exauthorato, & rebellibus ad obsequium reductis; plures adjunxit Imperio provincias; perfecitque mirabilia opera; inter alia stupendos aqueductus. Illo autem imperante profugit *Hancohuallu* Rex *Chancarum* cum multis suorum millibus, in provincias remotiores; de quo multa, sed incerta, narrant Peruviani. Huic fuit uxor *Mama-Runtu*, quæ plures illi dedit liberos.

IX. *Pachacuteec-Inca* successit patri in imperio; domuitque *Huancas* famosæ vallis *Xauxæ* (vel ut *Garcilassus* vocat, *Sauæ*) indigenas, per germanum suum *Capac-Yupanqui*; itemque *Tarma* & *Pampu* (vel *Taramam* & *Bombon*) provincias fertilissimas; aliasque plures versus *Andes*: item *Huamacuchu* & *Caxamalcam* (quam *Garcilassus* vocat *Casmarcam*) versus Arctum. Et versus occidentem *Nanascam*, *Inciam*, *Pisco* & *Chincam* & reliquias valles ad mare Australe. Huic fuit uxor & germana *Coya-Anabuarque*.

### C A P. XIII.

#### *Reliqui Peruvianorum Monarchæ usque ad Atahualpatm; & cæteri descendentes ab Incis.*

X. *Inca-Yupanqui* successit patri; subjugavitque *Conchos* & *Moxos*: atque animum adjectit ad *Chilem*, cuius etiam partem domuit, usque ad flumen *Maulen*. Huic fuit uxor & germana *Coya Chimpuc Oello*.

XI. *Tupac Inca Yupanqui* patri succedens, petuit per *Caxamalcam*, *Chacapuyas* & *Huacrucuchos*, ut vocat *Garcilassus*, & subjugavit utrosque. Adjectit quoque suo Imperio *Muyupampam* vel *Moyobambam*, *Huancapampam*, *Cassam*, *Ayahuacam* & *Calluam*; & denique *Cannarum* provinciam atque *Paltas*; aliasque complures provincias usque ad *Quito*. Huic fuit uxor *Mama Oello*.

XII. *Huayna-Capac* patri succedens, rebus jam ante præclarè gestis, *Quitenisi* regno aliisque viciniis provinciis perdomitis, plurimum dilatavit imperii sui fines. Huic prima uxor fuit soror illius major natu *Pillcu Huaco*, è qua nullos sustulit liberos: altera secundò genita *Rava Oello*; cui accessit tertia *Mama Runtu* patrui sui filia. Ex *Rava* sustulit *Huascar Incam*: ex *Mama* autem *Manco Incam*; ex filia denique & hærede Regis *Quitenisi*, *Atahualpan*. Huic Regi tribuuntur duæ illæ semitæ regales, de quibus alibi diximus. Moriturus denique substituit sibi in Regno *Quitenisi* filium *Atahualpam* validè sibi dilectum, reliquo imperio *Huascari* demandato.

XIII. Mortuo *Huana-Capac*, filii illius *Huascar* & *Atahualpa*, annis quatuor aut quinque regnarunt in suis quique regnis sine ulla notabili discordia: Verum ut omnis potestas impatiens est confortis: *Huascar* quem pœnitiebat fratri *Atahualpa* tam facile non minimam Regni partem cessisse, Legatum mittit ad fratrem, postulatum ut se *Vasallum* suum agnoscet, neque regni sui fines ulterius dilataret. *Atahualpa* fingit se lubenter accipere condicione præscriptas, atque adeo paratum esse fratri, ut supremo domino obedire; petitque ut sibi cum majore comitatu *Cuscum* venire liceat ad exequias mortuo Parenti summa frequentia & solemnitate persolvendas; id à *Huascare* dolli ignaro impletat cum gratia: Quare quam ocyssime ex omnibus suis provinciis, bellicosissimum quemque & maxime Parentis sui Veteranos præmittit *Cuscum*, evenitum in regni sui finibus præstolari certus. Supra triginta millia fuisse tradunt: neque *Huascar* ante persensit dolum, quam quum jam fratri sui copiæ vix centum leucis abessent à *Cusco*: Tunc enim à fidis provinciarum suarum præfectis monitus, fratrem cum majoribus copiis advenire quād exequiarum solemnitas requireret, atque adeo cum

cum armatis, quibus nihil opus esset, si ad obsequium majoris fratris, quod simulabat, properaret: Quare ille, licet serius, sibi impositum sentiens, quam celerrime delectum indicit, & ex omnibus vicinis provinciis advocat copias: verum Atahualpa copiis interea festinantibus ex improviso ab illis fuit oppressus & captus, pluribus suorum in p̄cilio haud longe à Cusco desideratis. Crudelissime usus est hac victoria Atahualpa; nam omnes principes è prosapia regia, quos quidem nancisci potuit, variis suppliciis sustulit, idque ante fratris sui oculos, ut miserum magis excruciat; neque fœminis parcitum fuit aut infantibus, nec denique ipsi Huascari, quem jam Hispan Regnum illius essent ingressi, ipsique imminerent. Quæ prolike commemo-  
rantur ab Ynca Garcilasso. Veruntamen non tulit hanc crudelitatem impunitam, ab Hispanis imperio & vita privatus in Caxamalca. Cæteri post illum Yncæ magis in speciem, quam revera aliquot annis post regnarunt; de quibus consulendæ historiæ Hispanorum. Atque hæc quidem è commentariis Yncæ Garcilassi de la Vega, qui se ex illorum prosapia genus duxisse profitetur, compendio retulimus.

## C A P . XIII.

*Peruvianorum Regum series & familie ex Josepho de Acosta.*

**I**osephus de Acosta in libris de Historia naturali & morali Indiarum, seriem Regum Peruvianorum paulo aliter designat, quam hic compendio referemus.

Primum Regem itidem vocat *Mangocapa*: hic author fuit duarum familia-  
rum regiarum *Hanancuzco* & *Vrincuzco*, è quarum prima descendunt Reges qui Imperium hoc summopere dilatarunt.

Secundum vocat *Ingaroca*, authorem familiæ, (ipsi vocant *Aylo*) *Vicoquirao*; hic II.  
primus usus fuit vasis aureis, & idola aurea consecravit.

Succedit *Yaguarquaque*, quem ab hostibus superatum & captum, sanguinem plo- III.  
rasse produnt, unde illi nomen partum: ab hoc descendit familia *Aocaili panaca*.

Huic successit filius *Viracocha Inga*, à quo familia *Coccopanaca* descendit; hujus ca. IV.  
30 daver, quia ingens thesaurus cum ipso inhumatus credebatur, anxie quæsitum fuit  
à Gonfalvo Pizarro, & tandem inventum in *Xaquixaguana*, atque crematum; cine-  
res autem in summa veneratione dudum tenuerunt barbari, donec ab Hispanis ve-  
tarentur, qui aliorum quoque Ingarium corpora inventa deleverunt.

Pachacuti *Inga Yupangi* successit, qui regnasse dicitur sexaginta annis & imperii li- V.  
mites supra modum dilataffe: de hoc memorant multas fabulas, quas hic referre ni-  
hil attinet. Hic fuit author familiæ *Ynacapanaca*: fabricavitque aureum idolum *In-  
diillapa*, quod in aurea sella circumferebant.

Succedit *Topa Inga Yupangui*; atque illi filius ejusdem nominis, qui fuit caput fa- VI.  
miliæ, quam barbari vocabant *Capac Aylo*. VII.

40 Huic successit *Guaynapaca*, omnium Regum longe opulentissimus; ita ut huic po- VIII.  
tissimum tribuantur sumtuosissima ædificia hujus Regni: Author fuit familiæ *Teme-  
bamha*.

*Guaynacapa* successit in urbe Cusco *Tito Cusci Gualpa*, quem postea vocarunt *Guaf- IX.  
car*; hic à ducibus Atahualpa fratris sui, *Quixquiz* & *Chilicucima* captus fuit & con-  
crematus, quem jam Hispani Peruviam essent ingressi.

Atahualpa ab Hispanis in Caxamalca capto & strangulato; quum Pizarrius jam X.  
regni potens esset; supervenit *Mangocapa* filius itidem *Guaynacapa*, qui aliquandiu Hispanos arcta obsidione cinxit in urbe Cusco; verum fugere coactus, recepit se in *Vilcabambam* inter asperrimos montes, ubi ipse & successores illius pluribus annis se  
50 ab Hispanis sunt tutati, donec tandem *Amaro* caperetur, quem Hispani in urbe Cusco  
publico supplicio sustulerunt. Habuit Guaynacapa & plures filios, quorum unus  
baptismo initiatus, *Pauli* nomen assumit, huic filius fuit *Carolus*, qui sicuti & Pater  
Hispanos juvit contra cognatos suos.

Marchione autem de Cannete Peruviam Pro-Rege administrante è *Vilcabamba*  
ultra venit Limam *Sayritopa Inga*, cui Rex Hispaniarum dedit vallem *Yucay*.

Familiæ denique *Vrincuzco*, quæ, ut supra, Māgocapam quoq; authorem agnoscit,  
princi-

principes numerat *Iosephus de Acosta*, *Chinchirocam*, *Capac Yupangui*, *Lluqui Yupangui*, *Mayta capam*, *Tarco guaman*, *anonymum*, & denique *Tambo Maytapanacam*, qui Christianis Sacris initiatus dictus fuit Joannes; Haec tenus ille; quæ quamplurimum differunt ab iis quæ *Garcilassus* tradidit; neque mirum quum literis & libris caruerint Peruviani, sine quibus difficulter rerum memoria conservatur.

Ut autem obiter hic referam, captus fuit *Atahualpa* ab Hispanis, mense Mayo, anni c1515 xxxiiii & paulo ante à ducibus *Atahualpa*, frater illius *Guascar* in urbe *Cusco*: quem deinde barbari mandato *Atahualpa*, ut referunt Hispani, suffocarunt in fluvio *Andamarca*; Hispani autem inaudita crudelitate, paulo post ipsum *Atahualpam*, sustulerunt; deinde *Pizarro* per ludibrium filium illius *Toparpam* consuetis ceremoniis à primoribus voluit inaugurar: sed subrogavit ipsi anno c1515 xxxiv<sup>10</sup> *Mangonem* filium *Guaynacavae* uti legitimum imperii hæredem. Verum discordia inter *Pizzarrum* & *Almagrum* paulo post orta, animos quoque barbarorum distraxit in partes, ita ut *Mango* potissimum ad *Almagrum* se applicaret; neque desperaret avitum imperium, pulsis Hispanis posse recuperare; unde factum fuit, ut anno c1515 xxxv clam è *Cusco* se proriperet, & maximis copiis Hispanos in illa urbe obserderet, & variis modis infestaret: Rediit postilla *Almagrus* ab expeditione *Chileni*, quem *Mango* speraverat, ut *Pizzaris* infestum, ita demereret, ut cum ipso *Cuscenses* expugnaret, verum quum id minime procederet, etiam in *Almagri* copias irruit, sed exiguo profectu: Qui postquam cum *Pizzaris* in gratiam, ut putabat, rediisset, *Man. 20* *gonem* qui è *Tambo* se receperat in vallem *Amayabambam*, per *Tribunum* suum *Rodericum Orgonnez* ita terruit, ut in asperrimam provinciam viginti quinque leucis à *Cusco* profugeret, quam vocant *de Viticos*, haud longe à provincia in qua urbs *Guancoco* condita fuit. Certatum dein aliquot annis inter Hispanos mutuis cædibus. *Almagrus* publico supplicio sublatus, *Franciscus Pizzarus* ab *Almagrianis* in oppido *Lima* trucidatus. Anno c1515 xli advenit ex Hispanis à Rege missus *Vaca de Castro* qui Peruviam est ingressus, & quum varii duces cum suis copiis illi se adjunxit, Praefecturam init sub initium anni c1515 xlii, & promovit exercitum ad vallem *Xauxam*, & deinde ad *Chupas*, ubi præclium fuit commissum, in quo *Almagriani* fuerunt profligati, & paulo post *Almagrus Iunior* captus, & anno c1515 xlivi supplicio affectus. Missus deinceps à Rege *Blasco Nunez Vela*, ut Peruviam Pro-Rege administraret, cui mandatum, ut *Mangonem* ad officium reduceret, & anteaacta condonaret: Hic venit in Peruviam anno c1515 xliv: *Gonzalus* autem *Pizzarus* rebellavit in urbe *Cusco* seque Ducem professus est contra *Mangonem*; verum quum copias suas eduxisset è *Cusco* & contra Pro-Regem festinaret; *Mango* opportunum ratus urbem pene vacuam uti opinabatur, intercipere; dum in eo est, à paucis Hispanis, qui aliquandiu apud illum latitaverant, fuit imperfectus, & copiæ illius se inter Andium juga subduxerunt. Pro-Rex interim à regiis Judicibus captus, & rursus ab uno illorum in libertatem restitutus; *Pizzarus* à reliquis Praefectus Peruvia proclamatus, ita ut Pro-Rex versus *Quito* profugeret, & quum à copiis *Pizarri* urgeretur, *ad Popayan*; unde reversus ad provinciam *Quitensem*, in *Anaquito* à *Pizarri* copiis profligatur, & cæditur à Nigrita ex mandato *Carvajalis*, anno c1515 xlvi. Advenit deinde Licenciatus *Petrus de la Gasca*, qui consilio atq; armis tantum effecit, ut *Pizzarrum* superaret, caperet & suppicio afficeret, in *Guaynarima*: atque ita *Pizarri* terris penitus exciderunt quas Regno Hispaniarum acquisiverant, anno c1515 xlvi.

## C A P. XII.

### *De Regimine politico Peruvianorum, ex Commentariis Yncæ.*

I. 2. C. II.

**D**IVISERANT jam olim Reges Peruvia, imperium suum in quatuor partes, <sup>50</sup> secundum quatuor mundi plagas: Partem orientalem vocabant *Antisuyo*, à provincia *Anti*, quam nomen suum vastis illis montibus communicasse volunt, quia ab Hispanis appellantur *la Cordillera*: Occidentalem *Cundisuyo* ab altera provincia *Cunti*: Septentrionalem *Chincasuyo* ab ampla quadam provincia quæ ab urbe jacet versus Arctum; Meridionalem denique *Collasuyo* à *Collao*. Populum autem distribuebant in decurias, ita ut singulis decem unus præfasset; & rursus quinque decuriis

cap. 12.

curiis superior aliquis minister, atque ita porro centenis, quingentis, & millenis generalis dabatur p̄fectus, neque facile excedebat hunc numerum. Decurionum munus erat singulorum curam gerere, & operam date, ne quicquam eorum, quibus opus erat ipsis, deesset: itemque si quid peccasset, ad supremum p̄fectum deferre: nec non nascentium & morientium nomina & numerum singulis mensibus indicare. Decuriones autem vocabant *Chunca Camayu* à *Chunca* decem & *Camayu*, id est, procurator; & ita de aliis pro numerorum ratione. In singulis pagis erant judices qui lites terminabant crita appellationem; si tamen controversiæ inter provincias oriuntur, de iis ipse Inga agnoscebat.

10 Ingens erat legum reverentia: nec otiosos patiebantur aut vagabundos: Regem autem instar numinis observabant, nam per decuriones istos exactè noverat numerum suorum subditorum, sexum & ætates: & ut inferiores ministri melius in officio continerentur, secretos visitatores ablegabat, qui in actiones illorum inquirebant & plectebant delinquentes: hos vocabant *Tucuy ricoc*, quasi dicas omnia p̄videntes: gravius autem plectebantur ministri illi delinquentes, quam vulgus.

Regum autem potestas absolutissima erat, siquidem non tantum omnium rerum domini erant sed & personarum; ita ut non tantum sibi sumerent quantum libebat, sed & virgines quasvis sibi peterent & impetrarent cum gratia, sive in concubinas sive in ancillas.

20 Obtinuit autem inde à primo rege consuetudo, ut regni hæres duceret in uxorem germanam suam majorem ex utroque parente, aut si illa deesset aut sterilis compireretur, secundo genitam, & tertiam; vel si sorores deessent, cognatam vel etiam amitam, aut propinquo sanguine conjunctam: cæteri autem principes consanguineas ducebant uxores, exceptis tamen sororibus, ut hoc Regibus & illorum primogenitis esset peculiare. Semper autem succedebat in Regnum primogenitus, neque aliter factum in duodecim illis Regibus, inquit *Garcilassus*: licet aliter prodat *Acosta*. Successio autem Curacarum sive minorum principum pro diversitate provinciarum variabat; nam in aliis primogeniti succedebant parentibus: in aliis unus filiorum qui populo magis placebat, ita ut potius ex electione, quam sanguine videretur surrogari: in quibusdam omnes fratres ex ordine succedebant, & post illos majoris natu nepos & ita porro: quod Hispani licet falso etiam de Monarcha crediderunt.

Primogenitos suos magna solemnitate ablactabant, postquam secundum ætatis annum superarent: & tum capillum attondebant, & imponebant nomen: patrino p̄æiente, qui ex consanguineorum numero assumebatur quidem in reliquis, in primogenito autem Principis erat summus sacerdos Solis.

Maximam dabant operam Ingæ ut in omnibus provinciis; quas imperio suo adjiciebant, agri quam diligentissime colerentur, & larga Mayzii sementis fieret; & quia hic aquarum penuria est, famosissimos ubique moliebantur aquæductus, qui licet ævo & Hispanorum indiligentia, plerique jam conciderint, tamen ruderibus suis magnificantiam operum satis demonstrant. In eundem usum & campos diligenter complanabant. Agros autem universo sementi facienda idoneos, partiebantur in tres partes, quam prima Soli, altera Regi, tertia colonis cedebat, ita tamen ut numero colonorum aucto, Soli Regique detraheretur, quod ipsis videbatur deesse: Solum autem quod rigari nequivat, radicibus & aliis fructibus occupabant, & ad eundem modum dividebant: eamque divisionem singulis bienniis aut trienniis mutabant, ne terræ nimia cultura redderentur effæctæ. In colendis denique agris hunc servabant ordinem, ut primum colerent agros Soli dicatos: Dein terras viduarum & orphanorum, qui uti diligentius colerentur, erat in singulis pagis Curator pauperum, quem vocabant *Llaçta Camayu*, qui è turricula ad id comparata vesperi denunciabat, quæ pars agrorum postero die colenda foret: in viduarum autem numero censebantur etiam militum conjuges quandiu mariti in castris principis militabant. Secundo loco colebat quisque suos agros; & postremo loco Curacæ aut Principis.

Attribuebant autem singulis subditis tantum terræ, quantum poterat ferre sesqui modium; id vocabant *Tupu*: licet id nomen etiam milliare, itemque fibulam qua fœminæ utebantur, denotet; & verbi naturam induens denotet metiri. Ad eundem modum & solum minime riguum partiebantur. Agros autem suos stercorabant

fimo humano; aut ovillo: in planicie autem quæ mari adjacet avium marinorum; quare nefas erat illas occidere: in quibusdam denique vallibus littoralibus capitibus piscium.

Princeps nullas decimas aut aliud tributum capiebat à suis subditis, præterquam quod gratis sementem illius facerent & messem colligerent & in hórræ ad id in singulis pagis & municipiis comparata inferrent: & vestes atq; arma tam militibus quam pauperibus providerent, pro ratione provinciarum, quibus ea potissimum imperabantur, quibus abundabant: A pauperibus autem pro tributo exigebant certum numerum pediculorum, ne sordibus suis sibi ipüs miseriam augerent. Erant autem liberi ab omni tributo omnes è familia regia; item domini provinciales, iudices, reliquie regii ministri: milites denique in castris agentes omnesque viduæ & pauperes. Aurum aut argentum à subditis accipiebant non ut tributum, sed ut munus, quum nullum illius usum nossent quam templo sua & palatio illis exornare. Tributa annonaria, uti & vestes & arma, primo quidem in singulis pagis collecta ibidem in apothecis condebantur, deinde ad diversoria publica, quæ singulis tribus quatuorve leucis constructa erant, quantum opus erat, deducebant, ita ut quantevis exercitu transeunte, miles sine gravamine vulgi, ex apothecis regiis ali posset: spacio autem quinquaginta leucarum in ambitu *Cusco*, omne tributum conducebatur ad urbem in usum aulæ regiæ, & sacerdotum Solis.

## C A P. XVI.

*De Regalibus ædificiis que passim in Peruvia visibantur, & de Religione Peruvianorum.*

**R**EALIA ædifica supra modum magnifica fuerunt & longe sumtuosissima: nam primo constructa erant è grandibus saxis elegantissime politis & levigatis; quod mirabile in gentibus quæ ferri usum ignorabant: & tam apte conjunctis & concinnatis, ut juncturæ vix apparerent: unde Hispani fuerunt opinati nullo cemento fuisse colligata; Verum quidem est, Peruvianos calcis aut cementi usum ignorasse; utriusque tamen loco adhibuerunt nunc argillæ quoddam genus valde tenuæ & glutinosum, quod vocabant *Llancac-Allpa*, id est, lutum glutinosum, quod ob tenuitatem tandem disparebat: nunc plumbo, argento & auro permixto: quæ res occasionem dedit ut plurima maxima ædifica ab avaris Hispanis penitus corrupta fuerint atque destructa, ut narrat *Petrus de Cieça* cap. XLII & LX atque XCIV.

Parietes cubiculi regii, ut & templi Solis aureis laminis erant incrustati, in quibus sculptæ erant variæ figuræ hominum atque animantium. Sella regalis, quam vocabant *Tianam*, tota aurea erat & aureo solo imposita. Vasa omnia domestica, tam majora quam minora, aut argentea erant aut aurea: taliaque magno numero in omnibus & singulis Palatiis reposita erant, ita ut Rege iter faciente, nihil necesse esset quicquam vasorum aut suppellestilis secum ducere. Præterea ex auro atque argento efformabant omnis generis animantia, plantas, adeoque grandes arbores cum suis frondibus, floribus & fructu: & quod fidem pene superat, etiam strues grandes lignorum. de quibus præter *Garcilassum* lib. V I. cap. VIII videnti *Petrus de Cieça* cap. XXI. XXXVII. XLI. *Augustinus de Zarate* lib. I. cap. XIV. *Gomara* cap. CXXV.

Ingentes autem hos thesauros maximam partem ab indigenis post Regem *Atahualpam* captum, fuisse absconditos, neque haec tenus inventos (nisi forte casu quicquam eorum in cuiusquam manus inciderit) uno consensu tradunt scriptores.

His accedebant magna templorum pars, quæ passim soli, summo ipsorum numini, construxerant; imprimis autem sumtuosissimum illud in urbe *Cusco*, cuius parietes laminis aureis à solo ad fastigium testi erant. Figura quoque solis quemadmodum vulgo pingitur, tota aurea erat cum suis radiis: quam Hispanus quidam noctis integrum alea decoxit una nocte. Id templum hodie superest, pars monasterii *S. Dominici*. Juxta principale templum erant & alia quatuor, quorum primum lunæ uti solis conjugi & germanæ dedicatum erat, cuius fores atque parietes laminis argenteis erant

erant obducti. Alterum Stellæ Veneris quam vocabant *Chasca*, cujus parietes itidem argento tecti erant; Tertium fulmini, tonitruo & fulguri, quæ communi nomine vocabant *Yllapa*: Quartum Iridi quam vocant *Cuychu*, quod totum auro obductum erat. Præter hæc & domus his conjuncta erat itidem à solo ad fastigium auro polita, in qua summi sacerdotes conveniebant, de rebus Sacris acturi, quos omnes è prosapia regia esse necesse erat. Ad eundem modum & alia templa Soli dicata visebantur in variis provinciis, licet non tam magnifica, quam hoc *Cusco*; nisi forte excipias longe antiquissimum in Insula Lacus *Titicacæ* conditum, quod sicuti & ipsam insulam barbari imprimis venerabantur, quia reges suos inde ortos fabulantur: Id enim templum ad eundem modum auro argentoque erat ornatum, tantaque præterea vis auri atque argenti congesta, ut barbarorum narratio pene fidem supereret.

Quia autem de templis eorum diximus, non abs re fuerit pauca hic addere de illorum superstitionibus: Peruvianos Solem tantum pro numine coluisse superiori libro dictum: Huic immolabant omne pene genus animalium, potissimum autem oves ipsis domesticas; item omnis generis fruges, & potiones vestesque. Abhorrebat autem Inca ab hostiis humanis: non minus quam humanarum carnium usū in cibis, quem vetabant; licet Hispani quidam aliter memoria tradiderint. Plures habuerunt sacerdotes, quorum summum vocabant *Villac Vmu*, id est, harriolum sive prophetam; horum autem amictus nihil differebat à communī. Soli itidem consecrabant virgines ab octavo ætatis anno, quas concludebant certis ædibus ad id destinatis, in quas mares intrare nefas erat, haud minus quam foeminis vetitum erat intrare in templum Solis, ut multum falsi fuerint Hispani qui scripserunt, virgines has unā cum sacerdotibus in templo Solis sacris ministrasse: Harum numerus in urbe *Cusco*, ut plurimum erat supra mille, & fere è sanguine regali, quæ autem inter eas ætate præcellebant, vocabantur *Mamacuna*, quasi dicas matronæ & matres juniorum: Servabant perpetuam Virginitatem, neque unquam prodibant in publicum, aut ab aliis foeminis, ut mares taceam, videbantur, præterquam à Regina aut regiis filiabus. Principale earum exercitium erat nere vestes in usum Regis & Reginæ. Amictus autem Regis erat primo indusium ad genua usque descendens, quod vocabant *Vncu*; & mantile quadratum, quod dicebant *Tacolla*; gestabant præterea bursam, ut ita dicam quadratam, & ab humero sinistro pendulam versus latus dextrum, in qua Cucam suam circumferebant, quam dum res Ingaram starent, ipsis solis & ipsorum consanguineis masticare fas erat, præter paucos primores quibus Rex singulari privilegio indulgebat. Caput denique redimibant tænia quadam quam vocabant *Llautu*; ea erat digitum transversum lata & satis grossa, ambebatque ter quaterve caput; quibus accedebat rubra fascia, quæ diadema inter utraque tempora conjungebat.

Eadem virgines & panes coquebant, quibus in solemnibus sacrificiis utebantur, ipsis *Cancu*, quoque Soli offerebant in festis majoribus *Raymi* & *Cittua*: nec non postum quem festis diebus Inga & illius consanguinei usurpabant, ipsis *Aca*. Vasa autem omnia quibus hæ Virgines utebantur, erant argentea aut aurea, haud minus quam in templo Solis.

In cæteris regni partibus erant similia monasteria, in quæ filiæ *Curacarum* & aliorum quoq; quæ forma aut elegantia cæteras excèdebant, recludebantur; non tamen Soli erant sacræ, aut servabant virginitatem, verum Regis erant concubinæ, & è claustris exibant quoties à Rege vocabantur: custodiebantur tamen à suis mamaconis, & exercebantur variis operis; & texebant pannos, vestesque & alia elaborabant Regi; quæ ille, summi munieris loco impertiebatur consanguineis suis, aulicis, & militibus qui strenue rem gesserant.

Quas autem Rex semel exciverat aut cognoverat, ex nunquam ad claustrum remittebantur, sed aut in aula ministrabant Reginæ, aut cum singulari dignatione ablegabantur ad consanguineos suos. Si quæ autem virginum, (quod tamen nunquam accidisse volunt) se corrumpi passa esset, illam lex vivam defodere jubebat; corruptorem autem laqueo tolli, una cum tota familia sua, atque adeo si *Garcilasso* & aliis credimus, cum toto pago in quo habitabat. Denique nunquam hæ reclusæ sive adhuc virgines sive ab Inca corruptæ ullis aliis in uxores dabantur,

aut concubinas: tanta erat Principis & ipsius mulierum veneratio: licet quidam secus tradiderint, quos decepit quod Inga interdum subditorum suorum, maxime procerum, filias ob speciales causas ipse elocaret; sed quæ nunquam virginum claustra fuerant ingressæ.

## C A P . XVII.

*De Peruvianorum festo principali, quod vocant Yntip Raymi.*

**I**NTE R quatuor festa principalia, quæ ab Incis celebrabantur in urbe *Cusco*, eminebat unum, quod vocabant *Yntip Raymi*, id est, Solis festum solemne, & simpli-<sup>10</sup> citer *Raymi*: id celebrabatur mense Junio post solstitium summa solemnitate: nam tum confluabant ex omnibus regni partibus ad urbem, omnes militares tribuni & duces exercituum, omnesque Curacæ & primores Regni, aut per se aut per liberos suos & consanguineos, si senio aut aliis occupationibus impedirentur. Ceremonias ordiebatur ipse Rex, tanquam filius Solis & summus sacerdos, licet semper præter Regem haberent alium summum sacerdotem è prosapia regia. Certabant inter se proceres, ut quam elegantissime ornati & amicti peregrinum in modum ad hoc festum accederent.

Parabant se universi ad hoc festum triduano jejunio, quo & à fœminarum consortio penitus abstinebant, neq; quicquam gustabant, præter paululum Mayzii candidi,<sup>20</sup> & Cucam herbam & puram aquam: neque toto illo triduo fas erat focum in urbe accendere. Absoluto jejunio, nocte quæ ipsum festum præcedebat, Sacerdotes quidem parabant agnos & oves, aliaque necessaria ad sacrificia, pro numero eorum qui confluxerant; Virgines autem Soli dicatae, panem illum *Cancu*, & potum quem Inca & illius consanguinei usurpati erant; nam ad panem cæteris parandum plures aliae fœminæ deputatae erant.

Summo dein mane, Inca cum suis consanguineis, secundum ordinem ætatis & dignitatis procedebat in aream majorem urbis, quam vocabant *Hancaypato*, ibidemque attente conversi ad orientem & nudi pedes, præstolabantur, donec Sol ascenderet supra Horisontem; ad primum illius conspectum, considerabant humi, &<sup>30</sup> brachiis apertis & elatis manibus, atque ori objectis, aërem veluti osculabantur solem ut supremum Numen & Parentem venerantes. Cæteri proceres, in vicina area quæ dicebatur *Cussipata* eadem solemnia obibant. Rex deinde assurgebat, cæteris consistentibus, & sumebat in manus duo grandia vasa aurea, quæ vocabant *Aquila*, plena potu illo, quo utuntur; & vas dexterum propinabat Soli & consanguineis suis, dein potum illius vasis effundebat in cadum aureum, à quo canna lapidea eleganter polita pertinebat ad templum Solis, ut ipse illum potum haurire videretur. E vasi autem sinistræ manus, primum libabat Inca, dein consanguineis suis effundebat, singulis exiguum haustum, in scyphos ad id comparatos, de sacro hoc liquore. Curacæ autem & alii qui non erant è prosapia regia, bibeant alium liquorem à Virginibus<sup>40</sup> præparatum. Hac ceremonia absoluta, procedebant omnes versus templum: Solus autem Inga, & illius consanguinei ingrediebantur, & solus Rex per se offerebat Soli vasa in quibus libaverat, illumque veluti coram adorabat: cæteri Incæ uti & proceres reliqui qui consistebant in area ante fores, tradebant vasa sua sacerdotibus, per ipsorum manus Soli offerenda, unâ cum variis animalibus ex auro & argento affabre concinnatis.

Oblationibus jam perfectis redibant singuli ad sua loca: & accedebant Sacerdotes cum magno numero agnorum & ovium illius terræ, quæ Soli erant consecratae: ex horum numero sumebant agnum nigrum, (hunc enim colorem maximi faciebant barbari) ut ex illo auspicia caperent: & humi strato, capite verso ad orientem, aperebant latus sinistrum, & ocyssime manibus eruebant cor & pulmones cum arteria aspera; auspicatissimum autem ducebant, pulmones exire palpitantes adhuc & plenos vitali spiritu: inauspicatum vero si agnus, dum aperiunt latus, è tenentium manibus eluctando in pedes se erigeret, præter alia quæ ut inauspicata notabant. Si agnus inauspicatus videretur, sumebant ovem & ita porro. Deinceps plures agnos & pecudes immolabant, sed non ea solemnitate, siquidem jugulabant tantum, & cor atque

atque sanguinem flammis absumebant, quas artificio quodam naturali à sole fone-rabantur. Carnes autem assabant in publico & assas comedebant cum singulari ordine & festivitate: & post cibum captum demum largo potu se invicem ingurgi-tabant, familiari & pene agnato hisce barbaris vitio. Novem diebus durabat hæc fe-stivitas, quæ maxime conviviis & symposiis absolvebatur; quibus absolutis singuli revertebantur ad sua.

## C A P . X V . I I I .

## De Peruvianorum Idiomate atque Poësi.

10

**I**DIO M A Peruvianorum, præsertim commune sive Cuscense, valde fuisse con-cisum & inops verborum, ita ut uno nomine sæpe diversas res explicarent, & uno verbo non raro integrum sententiam exprimerent, pluribus locis monet *Ynca Garcilassus* qui optime potuit scire. Tamen ad eundem modum, quem in Nova His-pania indica vimus, de lingua Mexicana, commune fuit toti Peruviaæ, Regibus illud una cum legibus suis & institutis, in domitas provincias inferentibus. Observat *Garcilassus*, Patres liberos suos vocare *Churi*, matres autem *Vava*: Sexus autem distin-guere adjectione particulæ quæ sexus discriminaret. Item fratres se invicem appella-re *Huanque*, sorores *Nanna*: si autem frater sororem alloquatur, dicit *Pana*, non au-tem *Nana*, ne & ipse foemina se faciat; Soror autem ob similem causam fratrem compellans non dicet *Huanque* sed *Tora*: nec sororem compellans *Pana*, sed *Nanna*. Idem monet, Cuscense idioma caruisse aliquot literis Alphabeti Latini & Castellani atque Vulgaris, puta b.d.f.g.i.l, nisi quod ll uterentur duplice, & x. & r. itidem ute-rentur tantum simplice, nunquam duplice; quas dum Hispani supplant pro suo ar-bitrio, multa vocabula illius idiomatis depravaverint. Secundo habuisse tres pro-nuntiandi modos, quibus & significationem singulorum nominum & verborum va-riabant; nimirum intra labia, palatum & intra fauces, qui modi omnino sint obser-vandi, ut differentia significationum deprehendatur. Tertio non reperiri in hac lingua syllabas quæ duas consonantes habeant, sive mutam cum liquida; & si quæ-dam vocabula ejusmodi syllabas videantur habere, in pronunciatione mutam à li-quida esse dividendam, ut Pap-ri, Poc-ra, Chac-ra, &c. Verum lingua hæc com-munis, postquam Hispani Peruvia sunt potiti, apud plures nationes obsolevit, quæ jam propriis utuntur; quæ res insigne impedimentum adfert religiosis in instituendo barbaros principia religionis Christianæ.

Porro hanc communem linguam plurimum excoluerunt ipsorum litteratores & philosophi, quos vocabant *Amautas*, ita ut ad Poësin accommodarent: quos poëtas singulari nomine appellabant *Havarec*. Versus autem illorum fere tribus aut quatuor syllabis constabant, quos ita disponebant, ut interdum omnes quatuor syllabis con-starent; interdum essent mixti. Utriusque compositionis exempla proponit *Garcilas-*<sup>12. c. 17.</sup> *sus*; & quidem mixti generis cantilenam hanc brevem;

<i>Caylla llapí</i>	Ad canticum
<i>Punnunqui</i>	Dormies
<i>Chaupituta</i>	Media nocte
<i>Samusac</i>	Veniam.

Alterius autem hanc longiorem, cum interpretatione latina *Blasii Valerae*, qui versuum modum servans sensum minus expressit, & sua ad verbum:

<i>Cumac Nusta</i>	<i>Pulchra Nympha</i>	<i>Formosa domicella</i>
<i>Torallayquin</i>	<i>Frater tuus</i>	<i>Aqua implevit germanus tuus</i>
<i>Puynnuy quita</i>	<i>Urnam tuam</i>	<i>Cantharum tuum</i>
<i>Paquiz cayan</i>	<i>Nunc infringit</i>	<i>Quem nunc frangit</i>
<i>Hinamantar</i>	<i>Cujus ictus</i>	<i>Qua ex causa</i>
<i>Cunun nunun</i>	<i>Tonat fulget</i>	<i>Tonat &amp; fulgurat</i>
<i>Ylla pantac</i>	<i>Fulminatque</i>	<i>Fulminatque</i>
<i>Camri nusta</i>	<i>Sed tu nympha</i>	<i>Tu regia domicella</i>
<i>Vnuy quita</i>	<i>Tuam lympham</i>	<i>Tuas pulchras aquas</i>

<i>Paramunqui</i>	Fundens pluia	Nobis das pluendo
<i>Riti munqui</i>	Interdumque	Et certis vicibus
<i>Pacharurac</i>	Grandinem seu	Ninges nobis
<i>Pacha camac</i>	Nivem mittis	Et grandinem fundes
<i>Vira cocha</i>	Mundi factor	Deus qui animat
<i>Cay binapac</i>	Vira cocha	Magnusque viracocha
<i>Chura sunqui</i>	Ad hoc munus	Ad hoc officium
<i>Cama sunqui</i>	Te sufficit	Te collocarunt
	Ac præfecit.	Et te animarunt.

Argumentum est fabula, quam philosophi illorum commenti fuerant; Puellam è regia prosapia à summo Deo in regione aëris fuisse collocatam, cum phiala aquis plenâ, ut illam in terram profunderet quum opus esset: hanc phialam à puellæ germano interdum frangi valido iœtu, atque ita generari tonitrua, fulmina atque fulgura. *Tlla pantac* enim unico nomine concludit tonitru, fulmen atque fulgur. *Cunnununi* significat strepitum edere. *Vnu* notat aquam, *Para* pluere, *Chiti* grandinare; *Riti* ningere: *Chura* significat ponere: *Cama* animare. Unde supremum numen *Pacha-Camac* dixerunt. Idem author testatur, Peruvianorum *Amautas* dramata composuisse & egisse coram aulicis, in quibus illustria defunctorum Regum gesta celebrabantur.

## C A P. XX.

*Scientiae, quarum Peruvianorum Philosophi gnari fuerunt; & quo pacto rerum gestarum memoriam conservaverint,*  
*& illorum Arithmeticæ.*

**V**E T E R E S Peruvianorum *Amautes*, Astrologiæ haud penitus fuerunt ignari, trium tamen siderum tantum habuerunt rationem; Solis quem vocabant *Inti*, Lunæ quam *Quilla*, Veneris *Chasca*: Stellas autem omnes communi nomine dicebant *Coyllur*. Itaque & anni ambitum, quem nominabant *Huata*, observarunt, 30 quem vulgus messibus distinguebat. Et solstitionum rationem habuerunt, uti apparet è turriculis, quæ & ad orientem & occidentem urbis *Cusco* erant positæ; de quibus *Iosephus de Acosta* videndus. Verum in numero turricularum & illarum usu plurimum ab illo discrepat *Garcilassus*; scribit enim fuisse duodecim, & signasse duodecim menses: *Acosta* vero tantum octo ad unam, & itidem octo ad alteram urbis plagam: easque ita fuisse dispositas, ut quatuor minores in medio, octodecim aut viginti pedes à se invicem distarent, & majores æquali pene spacio utrimque ab hisce abessent; ita ut minorum umbra solstitium proderet, permolesta observatione. Äquinoctia ad eundem fere modum observabant, columnis elegantis operis erectis ante templum Solis, & circulo circumducto. Observabant & Ecclipses tam Solis quam Lunæ, licet causas 40 penitus ignorarent, sed ridiculas communiscerentur; nimirum Solem ipsis iratum faciem suam abscondere & malum minari: Lunam ægrotare, & si totalis esset Ecclipsis mortuam aut moribundam; idque unice pertimescebant, casuram enim & mortales omnes obruituram: itaque plorabant, clamabant, & verberibus canes ad ululandum adigebant, persuasi Lunam canibus delectari.

Menses lunares habuerunt, & Luna nomine vocabant *Quilla*, partiebanturque in quatuor partes. Isque, ut scribit *Acosta*, propria nomina & singularia festa attribuebant. Annumque inchoabant olim à Januario; sed post Regem *Pachacutec*, quem anni reformatorem vocant, à Decembri.

Medicinæ parum scientes fuisse haud dubium est; herbarum tamen quarundam 50 vires & facultates à quibusdam haud ignoratas, qui in summa æstimatione propterea fuere apud Regem & magnates: cæterum fere duobus remediis utebantur, venæ sectione & purgatione; venam ut plurimum secabant in parte affecta: in purgatione adhibebant radicem quandam candidam instar rapi, ut plurimum duarum unciarum quantitate; atque ita valide & vomitum ciebant & sedes, non sine insigni languentium discrimine. Medicamenta in initio morborum tantum adhibebant; ubi in valuerant,

valuerant, dicetam præscribebant aut inediam: nec nisi simplicibus utebantur, mixtionis plane ignari.

Geometriam utcunque calluerunt, sed rudi modo; uti & Geographiam: & musicam pneumaticam, præsertim in Collarum regione, sed ita inconcinnam & indigestam, ut vix Harmoniæ nomen mereretur; utebantur canis ut plurimum quatuor conjunctis & diversorum tonorum, nonnunquam & una fistula ad unam tantum cantilenam comparata.

Peruviani (inquit *Josephus de Acosta*) nullum genus scripturæ noverant ante Hi. 1.6. c.31spanorum adventum, neque per literas, neque per characteres aut picturas, ut Chito nenses & Mexicanii: nihil tamen secius & memoriam antiquitatis conservabant, & rationem dabant de omnibus tam pace quam bello gestis. Diligentissimi enim erant in tradendo minoribus quæ à majoribus acceperant, & minores in conservando quæ ipsis tradebantur. Litteratum autem defectum supplebant, partim picturis, (quemadmodum & Mexicanii) licet valde rudibus; potissimum autem *Quipis*. Sunt autem *Quipi* memorialia sive registra facta è funibus, in quibus diversi nodi & diversi colores, res diversas denotabant. Incredibile videtur quantum illis perfecerint, etenim quicquid scriptura & libris explicari potest, Historiæ, leges, ceremoniæ, rationes mercimoniorum & similia, id omne summa dexteritate & explicatissime illis nodis adnotabant: quin & circumstantias omnes variis funiculis annexis designabant. Ad hæc memorialia conservanda certi erant deputati ministri, quos vocabant *Quipa-Camayo*, qui rationem reddere tenebantur, quemadmodum apud nos Notarii publici, aut Secretarii, neq; minor fides ipsis habebatur. Ad diversa autem rerum genera, puta bellum, regimen politicum, tributa, ceremonias, agros, &c. diversi adhibebantur *Quipi* sive funes: & in singulis eorum tot nodi & noduli & funiculi penduli, alii virides, cœrulii, candidi & in summa tot modis variegati, ut quemadmodum nos per viginti quatuor literas variis modis dispositas, infinita vocabula producimus, ita illi per varietatem nodorum & colorum, infinitas rerum significationes denotarent. Ita (ut notat *Garcilassus*) per luteum colorem notabant aurum, per candidum argentum, per rubrum milites.

Monstro autem simile (inquit *Acosta*) quod barbaros hos videas, granis Mayzii rationes etiam difficillimas nullo negotio subducere & expedire: Exempli gratia; ut inveniant quantum singulis pro certa proportione, pendendum sit de integra tributi summa pluribus imperata; arripiant grana sua & ponent hic unum, illic tria & alibi octo, transponent unum granum hinc, tria permutabunt inde; & in summa tam accurate explicabunt rationes, ut ne hilum quidem aberrent; & non minus dextre inventent quid, quantumque unumquemque dare aut accipere oporteat, quam nostrates pluma aut atramento.

### C A P . XXI.

#### *De moribus & institutis eorum domesticis pauca.*

40

**P**ERUVIANI, tam proceres quam plebei, educabant liberos suos frugaliter; pri-  
mum natos abluebant frigida: uti & singulis diebus antequam fasciis illosvinci-  
rent; neque ante tertium mensem brachia ipsis libera dimittebant, id robori  
prodeesse autemantes, reclinabant in cunas ligneras, super reticulos, lectorū loco. Nun-  
quam illos in brachia attollebant aut in gremium, ne quidē quum mammam dabant.  
sed se ad illos inclinabant: idq; ter tantum quotidie. Ipsæ matres, etiam Reginæ, la-  
etabant liberos suos, nisi forte morbo aut alia fontica causa impedirentur: & à mari-  
torum consuetudine fere abstinebant, ne liberos ante tempus ablactare tenerentur;  
nam ejusmodi ob causam ante tempus ablactatos, propudio nomine vocabant *Ayusca*,  
quasi dicas nothos. Fœminæ hic facillime pariebant, etiam sine obstetricibus, & post  
partum abluebant se frigida, neq; domesticis exercitiis vel tantillum abstinebant. In  
quibus universæ admodum diligentes erant: suetæ nere & texere, in calidioribus qui-  
dem provinciis gossypium, in frigidioribus lanam. Texebant autem in usum tantum  
familiaæ suæ, telas ut plurimum quadratas, & pro ratione & modo vestimentorum;  
suere insuetæ, quia fibulis quibusdam uestes connectebant. Quemadmodum autem  
fœminæ uestes, ita mares calceos aut ocreas parabant; nulli enim hic reperiebantur

artifices communes, unusquisque sibi ipsi & suis operabatur ea quibus opus erat: Agriculturam, tam mares quam foeminæ, administrabant.

Mira autem erat foeminarum diligentia, nam & prodeentes in publicum aut fila ducebant, aut jam ducta torquebant, aut semper aliquid operis agebant; ne quidem quum vicinas aut opulentiores inviserent, ab opere vacantes.

Summam quoque honestatis publicæ rationem habebant Reges & proceres, neque scorta publica intra oppidorum aut pagorum limites habitare permittebant, sed per agros in vilibus & abjectis casulis; Scorta autem ejusmodi appellabant *Pampayruna*, id est, prostibula publica; eaque tantopere contemnebant, ut foeminæ cum ipsis sermones serere formidarent, ne forte suspicionem incurserent: & viri indignis 10 interdum modis ipsa tractarent.

Matrimonia contrahebantur ad hunc modum: Imperator ipse in oppido *Cusco* singulis annis, aut interdum secundo anno, rationem inibat eorum qui nubiles erant, id est, marium qui vigesimum quartum, & puellarum quæ decimum octavum annum ætatis superabant; deinde die destinato, primo omnes è regia prosapia in loco publico conveniebant, atque ab *Inca* ipso, dexterarum contactu, copulabantur; & ad sponsorum parentes divertebant, aliquot diebus epulis operam daturi: postero aut tertio deinceps die, reliqui nubiles, ad eundem modum, copulabantur à ministris ad hoc specialiter à Rege delegatis. Eadem pene ratio observabatur in cæteris provinciis, ubi Curacæ Regis vice fungebantur. Vetus denique erat extra provincias aut cognationes nubere: neque præter unam, legitima conjux habebatur.

Id quoque ad regni sui robur & concordiæ inter subditos vinculum rebantur, nequaquam permettere, ut ex uno pago in alterum, (ne dicam ex provincia in provinciam) commigrarent, nisi à Rege jussi; qui ut domitas provincias melius in officio contineret, ejusmodi migrationes aliquando imperabat.

Plura addit *Garcilassus*, quæ nos tanquam jam obsoleta prætermittimus, quum ex iis quæ diximus satis putemus liquere, gentem hanc, pro modulo eorum qui literis tam sacris quam profanis destituuntur, Rempublicam habuisse satis justè & sapienter constitutam, & multis Europæis pudorem posse incutere.

## DESCRIPTIO



